amplissimo orbis Theatro afferam, haud reperio. Iam enim olim sapientissimo tuo judicio, omnes ejus penetrâsti, ac percensuisti virtutes, easqve uti probè cognitas, qvæ liberæ gentis sceptra moderentur, dignas judicâsti, cum non ita pridem Vladislaum unum esse, qvi Polonis imperare qveat, solemni commendatione asseruisti. Huc ergo potius mea deflectat oratio, ut qvos qvalesqve populos Tibi, Sanctæqve Sedi Tuæ supplices Rex noster secum offerat, declarem, qvod dum exeqvor, Pater Beatissime, Paterno affectu favebis filij, Pontificatûs tui natu minimi, gloriosis conatibus; solemne enim patrum est, eorum gestis potissimum recreari, qvos recentiori sive lucis, sive gloriæ partu orbi ediderint. Qvidcunqve ergo gentium Septemtrio tegit, qvâm latè à Carpathijs montibus ad Caspium mare, à glaciali Oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id, genuflectente Vladislao, ante Thronum Tuum prosternitur, Pater Beatissime. Omnes e-

nim illæ gentes, aut liberis suffragijs eum sibi Regem dixerunt, aut hæreditario jure, licèt refragæ, ad ejus spectant Majestatem, aut deniqve armis subactæ Dominum recognoscunt. Sed primum meritò locum obtinet Polonia, qvæ uti Principibus suis libere paret, ita Religionem, & Sacra, nulla vi, nullo metu adacta, colit. Illa, illa Sarmatia, Romanorum armis impervia, Romanæ Religioni mancipata; illa, tot olim superstitionum altrix, nunc unius DEI serva, illa libertatis custos acerrima, nullius jugum experta, Romanis Pontificibus, eorumqve Sedi Apostolicæ obseqventissima. Polonia inqvam, qvæ sola monstra non parit. Nulla inde Hæresis, nullum Schisma, & si qvi vicinarum gentium peste afflati, acerrimo legum supplicio, & perpetuæ infamiæ nota, à reliqvæ nobilitatis corpore rescinduntur. Si qvis legem, Vladislao Iagielone Rege latam, totius Nobilitatis, patrio more, consensu firmatam, legerit, fatebitur, nullius Concilij anathema acri-
us

us hæresim perstrinxisse. Et qvamvis iniqvitati temporum, amoriqve consangvineo, aliqvid indulsisse videamur; non tamen legem abrogari, unqvam passi sumus, nec patiemur; testaturi posteritati, nos legum, patriæqve salutem, unius Religionis integritate firmare. Hoc ipso lugubri nuper Reipublicæ statu, cum Sigismundum Regem, vivam pietatis, religionisqve imaginem cælo receptam, terris ereptam planximus, vidisses Pater Beatissime, illis ipsis centuriatis Comitijs, Senatum, Populumqve Polonum, magis pro Religione adversus concives suos, dira Hæresi corruptos, certantem, qvàm de communi Patriæ salute, aut de futuri Principis electione, sollicitum. Æqvavit fervor Procerum curam Antistitum, eorumqve & Tui Apostolici Nuntij solemnes excivit gratiarum actiones. Innatum scilicet genti Polonæ avitæ Religionis studium. Hinc illa erga Sacrorum Præsides observantia, qvæ eis prima in Senatu subsellia detulit, & præcipuas Reipublicæ partes curare jussit. Tacebo

prodigam, ut ita dicam, in Templorum ædificia, ac ornamenta liberalitatem. Omittam cultum Numinis, & Sacrorum ferventissimum; hæc enim omnia ita se habere Orbis consensus asserit. Animorum certè gentis ejus magnitudinem, vel inde colligere licet, qvòd à tot sæculis adversús feros, & immanes Nominis Christiani hostes excubent; nec stationem deserant. Ottomanorum signa, qvæ tot acies, tot Vrbes validas expugnarunt, tot montium claustra penetrarunt, fluminumqve impetus superarunt, tot Christianorum copias fuderunt, nuda Polonorum pectora stiterunt, & ne patentes ac pervios ingrediantur campos, hucusqve prohibuerunt. Scythicam pernicitatem, ne universam qvaqvaversus pervagetur Europam, unica Reipub: nostræ moratur Provincia. Moscos, solo nomine Christianos, re & moribus qvibusvis barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demum nobilissimam ejus Regionis partem in Provinciam redegimus. Hæc omnia summa animi magnitudine, ac prorsus

ſus Romana ſteterunt. Parentavimus ſiqvidem antiqvæ Vrbi, Majorum noſtrorum ferociâ læſæ, cùm in ejus mores & inſtituta tranſivimus. Hinc libertatis ſtudium, hinc æqvi, juris, ac legum amor; hinc maſculæ frugalitatis exempla, nil in moribus, nil in habitu corporis molle vel effœminatum, nil acu pictum. Iuventus prætextam, non in cytharædorum gymnaſijs, ſed inter caſtra deponit. Eqvitibus rura paterna colere haud pudendum, nè urbanis enervati delicijs, bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumqve habitant, ſed excelſos animos fovent; non propugnaculorum, non pontis ſublicij, ſed legum, & innocentiæ præſidio tuti. Neqve verò hanc magnanimitatem, ferociam qviſpiam dixerit. Cicurârunt Sarmaticam, ſi qvæ fuit, feritatem Religio, & Muſæ *Latinæ*. Has ubi è Septemtrione devolutæ gentes Latio moverunt (credo eqvidem) caſtra ſecutas, eiqve vitæ aſſvetas Heliconi ſuo prope ultimum vale dixiſſe. Gentem profectò noſtram adeo ſibi mancipârunt,

runt, ut ſine earum præſidio, & ornamento militarem gloriam minùsglorioſam æſtiment. Et meritò, earum enim beneficio libera Nobilium capita de ſeipſis decernunt, magno Nobilitatis ornamento. Neqve à ſcholarum cathedris interpretes petimus, latino freti eloqvio, qvod una cum moribus & inſtitutis in partem gloriæ noſtræ lubentes aſſumpſimus. Talis itaqve, & tanta Polonia, ad tuos pedes prima procumbit, Pater Beatiſſime, illud collum nullius unqvam jugum ferre ſolitum, illas manus liberas, illum animum excelſum, & ad imperandum natum, Regis ſui exemplo, Majorum inſtituto Tibi ſubmittit. Tuis auſpicijs ſe Vladiſlaum Regem dixiſſe, ac profitetur. Tu inde eum Tibi debere profitetur. Tu enim geniales Divos, Primum, ac Felicianum Româ diſceſſuro in ſacris cineribus tribuiſti, non ſine Pontificio omine, qvi eum primum Regem noſtrum fore, qvi ſine æmulo feliciſſimus, qvi conjunctiſſimis tam populoſæ gentis animis & ſuffragijs Rex diceretur. Tuis ergo auſpicijs,

cijs, Pontificum Maxime, habet Vladislacum Polonia, Vladislaus Poloniam, Tu utrumqve. Habebis, Deo favente, Vladislai invicta dextera, tandem aliqvando Tibi, Sanctæqve Sedi Tuæ mansvefactos Scandicos rebelles leones. Habebis & desertores communis Pastoris ad Tuum ovile propediem reduces. Exivit enim, Pater Sancte, filius hic Tuus, non ætate, aut meritis, nec Majestate, sed capessitæ Regiæ dignitatis tempore minimus ad venationem, ut te satiet, famemqve Tuam impleat, avidam gloriæ Summi DEI, inde longævi auspicaturus primordia Imperij, unde cæli & Ecclesiæ ruinas sperat reparandas. Erige hanc Tuam dexteram, Pontifex Optime Maxime, qvâ, nescio qvo turbine motum, ac pene ruentem Orbem retines, summo hujus sæculi bono dudum destinatus, & Sancta Benedictione proseqvere tã chari pignoris pios conatus. Excitabuntur hoc præclaro exemplo reliqvi Christianorum Principes, & postpositis perniciosis eorum nomini & gloriæ odijs, illuc

illuc arma convertent, qvò nefarij Imperiorum prædonis libido, jam tandem vindicanda, vocat. Vladiſlaus certè Rex, uti nunc, ſe, Regnaqve, & arma ſua Sanctitati Tuæ tradit, obedientiam præſtat, neqve ſe ab hujus Sanctæ Sedis auctoritate & obſervantia unqvam diſceſſurum profitetur; Ita, Te Duce, Te auſpice, paratus ſemper erit Chriſtianorum Aqvilas, notis ſibi itineribus, non ſeqvi, ſed præire.

Ejusdem Illustrissimi & Excellentissimi PRINCIPIS, &c.

Serenissimi ac Potentissimi Vladislai IV. Poloniæ & Sveciæ Regis, Ad Sacram Cæsaream, ac Regiam Hungariæ, & Bohemiæ Majestates, Septemvirosqve Romani Imperij Principes Ratisbonæ congregatos, Legati extraordinarij.

ORATIO II.

Habita Ratisbonæ in Collegio Electorali, Anno MDCXXXVII. XXVI. Septemb.

GRedidisset Orbis, Magni Principes, Legati Illustrissimi, Vladislaum Poloniæ & Sveciæ Regem potentissimum, pace domi forisqve parta, auctis prolatisqve Regni terminis, Amurate sola armorum ostentatione ad pacem petendam compulso, & metas Ottomanici Imperij, qvas nec Solis cursu olim declarari

volebat,

volebat, Vladislai placito terminante, altùm qviescere, & tot laborum, sudorum, vigiliarum, victoriarumqve trophæis incubare. Sed longè aliter accidit, generis humani bono cælitùs datus animus, proprijs commodis neqvaqvam acqviescit, sed, suæ prosperitatis nisi orbem participem viderit, haud putat laborum fructus maturuisse. Videt Christianorum Nomen, & gloriam consangvineis fœdari armis; prospicit ex illa, cui Polonorum Regum Thronus superimpositus, altissima Orbis Christiani specula, imminentem ab Oriente procellam, discordijs Regum Principumqve Christianorum excitatam, intuetur miserandum in modum discerpti, florentissimi Hungariæ Regni reliqvias, proluendo gutturi insatiabilis Ottomanicæ belluæ destinatas. Hæc omnia dum penitus considerat, amicissimi Regis vicinæqve gentis discrimine excitatur, & qvid in rem futurum sit, sublimi Regiæ mentis cogitatione perpendit, opportunè nunciatur Sacri Romani Imperij Electores Principes,
hac

hac in Vrbe Conventum more Majorum celebraturos, consulturosqve Orbi, & tanti periculi metu costernatam Rempublicam erecturos: Ingenti persusus lætitia, me qvantocius advolare voluit, & suo Nomine Serenitatum Celsitudinumqve Vestrarum conatibus gratulari, in sublevandis Imperij reliqvorumqve Regnorum rebus consilium communicare, operam offerre, affectum deniqve & solicitudinem tanto Principe dignam declarare. Ea nimirum est Sacræ Regiæ Majestatis ditionum cum Imperio Romano, eiqve annexis Provincijs conjunctio, ea negotiorum & commerciorum communicatio, ea demum periculosissima vicinitatis cum hoste omnium potentissimo ratio, ut utramqve sceptrorum Cæsareæ Majestatis fortunam ad se jure arbitretur pertinere. Qvamobrem de restituenda Germaniæ, tot tantisqve bellorum procellis attritæ, pace & tranqvillitate, ab eo die qvo Polonæ gentis liberis suffragijs Rex appellatus, semper se solicitum declaravit,

neqve

neqve ullam prætermiſit ejus revocandæ occaſionem. Sed generoſus ille Germanicæ gentis ſpiritus, qvamvis cum diſpendio rerum fortunarumqve ſuarum, noluit hactenus, dum externi hoſtes in ipſis Germaniæ viſceribus graſſabantur, pacis mentionem admittere, ne ſe victum, & ad eam petendam inter cæſorum concivium buſta compulſum fateretur. Nunc verò, cum nonnullorum vires, ad contemnendas redegerit reliqvias, cæteros ultra Germaniæ limites faceſſere coegerit, ſperat Regia Majeſtas, tantò promptiorem ad pacem amplectendam fore, qvantò glorioſiùs eſt proſperis rebus non magis inſoleſcere, qvàm adverſis frangi. Repetit ergo toties declaratum pacis in Imperio ſtabiliendæ ſtudium, ſuamqve operam & conatum ſe interpoſiturum luculentiſſimè pollicetur. Sperat porro Serenitates Celſitudineſqve Veſtras, tam præſentes, qvàm per Illuſtriſſimos hos Legatos intervenientes, non modò huc Cæſareæ Majeſtatis pientiſſimum ani-
mum

mum precibus ſuis inclinaturas, qvò eum communis boni ſtudio ultro propendere conſtat, ſed & proprijs conatibus in hoc tam expetendo negotio cooperaturas. Efflagitant hoc afflictæ plebeculæ cælum petentes lachrymæ, attritæ Nobilitatis vires, Provinciarum ſolitudo, agrorum vaſtitas, Vrbium, oppidorumqve ruinæ, uno verbo, ipſa qvam in Germania vix reperias Germania. Depoſcit jure ſuo periculum ab immaniſſimo Nominis Chriſtiani hoſte imminens, cujus arma, qvamcunqve Europæ partem petierint, ſtolidus ille foret & impius, qvi communi non commoveretur diſcrimine. Exigit deniqve pietas, ut tandem à fundendo Chriſtiano ſangvine, qvem tot proh dolor hauſerunt, & nunc hauriunt Provinciæ, deſiſtatur; & ſi porro fundendus eſt, contra illius hoſtes pugnando fundatur, qvi ſuum noſtræ fudit ſaluti. Sed dum Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, rationes tam ſtabiliendæ in Imperio Romano pacis, qvàm

publicæ

publicæ gentium ſecuritatis ponderat, agnoſcit, judicatqve neutrum firmum fore, niſi electo, ac declarato, in hoc Serenitatum Celſitudinumqve Veſtrarrum Conventu Romanorum Rege, & vergentis in Senectam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Imperij conſorte. Neqve vero hac tam ſublimi dignitate in qvemvis collata conſultum Reipublicæ Chriſtianæ arbitratur, ſed unum eſſe Sereniſſimum ac Potentiſſimum Hungariæ, Bohemiæqve Regem, cujus capiti impoſitum Romanorum Regni diadema publicam poſſit ſalutem firmare. Qvis enim non concedet, ſapientiſſimè Majores Serenitatum Celſitudinumqve Veſtrarum egiſſe? dum Romani Imperij habenas; jam qvintum ijſdem crediderunt moderandas, qvi oppreſſum Turcicâ Tyrannide Pannonum Regnum gubernàrunt. Nempe exhauſtas & deficientes illius Regni vires, qvibus tamen velut propugnaculo Imperium Romanum protegitur, non divellendas eſſe à Germaniæ vinculo judicàrunt, ne ſeparatæ hoſtili objicerentur potentiæ, ex
tinctæ-

extinctæ verò Germanicis Provincijs eas adferrent calamitates, qvas à tot annis deploranda ſuſtinet Hungaria. Qvantò magis idem conſiderandum hoc tempore, cùm Turcarum Tyrannus ab immenſa Divinæ Majeſtatis bonitate, fervente Chriſtianorum bello, alligatis (uti pueri ludentes ſolent) oculis per varios Orientis hucuſqve circumductus angulos, Occidentem tantum reſpicit, forſitan eadem manu, ob ſacra Chriſtianorum manibus polluta, reflectente, & unionem noſtram communis hoſtis metu procurante. Hunc verò à cervicibus tot Regnorum depellere, & incendium in aliena potiùs domo extingvere, qvâm in propria opperiri, erit ſummæ gloriæ, & celebratæ hujus auguſti Collegij prudentiæ. Conducet abſqve dubio, & ad præſens pacis reſtaurandæ propoſitum, ſi ardentibus undiqve flammis ſubtrahantur alimenta, ambitionis ſcintillis obnoxia. Hiſce de cauſis Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, Sereniſſimo Hungariæ Bohemiæqve Regi, Fra-

tri suo amantissimo, Romanorum Regis coronam votis, suffragijsqve Serenitatum Celsitudinumqve Vestrarum deferri summopere desiderat, enixè postulat, neqve de Serenitatum Celsitudinumqve Vestrarum affectu, non solùm erga Serenissimum prædictum Regem, sed & Universalem Christianarum gentium securitatem dubitat. Accedunt huic Regiæ petitionis suffragio innumera Augustissimæ Austriacorum domûs merita, plurima in familias subditorum Principum collata beneficia, Sacræ Cæsareæ Majestatis pro integritate & Juribus Imperij Romani exantlati labores, & vel hostium vocibus prædicata paterna in omnes, divinâqve duntaxat minor, clementia. Succedunt propriæ Serenissimi Hungariæ & Bohemiæ Regis virtutes, qvas priùsne florentes an maturas Orbis viderit, dubito; ita in ipso flore fructus præbuerunt copiosissimos. Hujus ipsius Urbis murorum ac propugnaculorum hiantes cicatrices, qvid aliud spirant, qvam invictam Victoris mentem, uni clementiæ subjectam. Nordlinganæ verò

memo-

memoria victoriæ tum demum deficiet, cùm Danubius Alpes repetet, & Euxini aqvas in proprios referet fontes. Explicare Veterani Ducis, qvem sibi circumdederat Urbium Germanicarum nodum, & paucorum mensium spatio totum Sveticarum victoriarum iter relegere, soli Ferdinando III. fata concesserunt, cujus gloriæ substernenda hostiũ trophæa tamdiu conservârunt. Ergo Serenissimi Principes, Vosqve Legati Illustrissimi, Scipionis hujus vestri Germanici fronti debitam Lauream imponite, ac trienniũ victoriarum, tertia corona ornate, imò in uno Ferdinando omnes pæne Regum Principumqve Familias, aut consangvinitate, aut affinitate junctas coronate: Serenissimi verò Regis mei, pro incolumitate Christianæ Reipublicæ in extrema excubantis statione, laboribus, vigilijs, vitæ ipsius periculis hoc unum solamen præbete, ut eum vestris judicijs, vestris suffragijs in sublimi Romani Regni Throno collocatũ videat, qvem sibi Deus non solũ sangvinis & amoris conjunctione fratrem, sed & cõmuniũ pro Christianis periculorũ laborũq; consortem destinavit.

Ejusdem Illustrissimi & Excellentissimi
PRINCIPIS, &c.

Serenissimi ac Potentissimi Sigismundi III. Poloniæ & Sveciæ Regis, Ad Serenissimum ac Potentissimum Angliæ Regem Iacobum Legati extraordinarij.

ORATIO III.

Habita Londini in Palatio Regio West-Monasteriensi. Anno MDCXXI.
Vltima Martij.

TAndem erupit Ottomanicum jam diu celatum virus pectore, & deposita simulatæ aliqvot abhinc annis amicitiæ larva, publico barbarorum furore, validissimum Christiani Orbis antemurale, petitur Polonia. Perstrepit bellico apparatu Oriens, onerantur classibus maria, jungitur Europæ Asia. Africanarum si qvid est virium, in nostram armatur

perniciem

perniciem. In societatem tanti belli, veniunt hæreditarij nominis nostri hostes Scythæ; venit & uterqve Dacus, Servij, Bulgarj, Boznenses, Illyrij, Thraces, Epirotæ: qvidqvid ferarum usqvam est gentium, vi, præmijs, pollicitationibus, spe prædæ, cupiditate vindictæ, cogitur, pellicitur, accenditur. Peractus nuper lamentabilis cruentæ Tragœdiæ prologus; hausit immitis primum cruorem Dacia, cùm perfidus hostis veterum ac recentium, solenni jurejurando firmatorum, immemor fœderum, innumeris suis copijs Regiæ Majestatis, Domini mei Clementissimi, petens ditiones, oppositam sibi parvam qvidem, sed bellicosissimam nostrorum manum cæcidit, ingenti Christianæ Reipublicæ detrimento. Creverunt enim ea victoria barbari spiritus, & tam faustis insolentes primordijs, universam spe concipiunt Europam, eò provecti, vel arrogantiæ vel amentiæ, ut, nec assentiente Deo qvidem, delere gentem nostram se posse arbitrentur. Tanto, non suarum duntaxat, sed Christia-

ſtianarum omnium Provinciarum commota Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, diſcrimine, eo fuit animo, ut & reliqvos Principes impendentis metus commonefaceret, & imprimis ad Majeſtatem Veſtram, nullâ interpoſitâ morâ referret. Sed ea eſt Majeſtatis Veſtræ vigilantia, tantum communis Chriſtianorum boni ſtudium, ut & illos, ad qvos ipſa potiſſimùm, vel temporum vel locorum ratione, pertinent pericula, antevertat. Antevertit Majeſtas Veſtra & hunc Sereniſſimi Regis mei nuntium, idqve ultro præſtitit, qvod poſtulandum erat, cùm ei hoſti, ſe Regiæ Majeſtatis, Domini mei Clementiſſimi, amicum eſſe, nec ei ullo in diſcrimine deeſſe poſſe denuntiavit. Qua in re agnoſcit Regia Majeſtas, verè magnum, verè Regium, verê Chriſtianum Majeſtatis Veſtræ animum; agnoſcit fraternum erga ſe affectum, qvem gratioſiſſimi teſtificatione animi proſeqvitur, ac profitetur, nihil tam grave, nihil tam difficile, nihil tam periculoſum fore, qvod viciſſim Majeſtatis Veſtræ cauſâ

aggre-

aggredi recuſet. Moveantur utinam tam præclaro Majeſtatis Veſtræ exemplo reliqvi Chriſtianorum Principes, velintqve potiùs tam glorioſi laboris eſſe cooperatores, qvàm ſegnes & otioſi alieni periculi ſpectatores, peſſundaturi qvandoqve propria, dum vicina negligunt; id verò uſu venire noſtro (ſi Dijs placet) credant cautiores exemplo, qvos neglecta Græcia, deſerta Pannonia in has conjecit anguſtias. Et nos qvidem, eam, qvam Cælum tulerit ſortem, feremus, renovaturi Saguntinorum fidei, Tyriorum conſtantiæ, & ſi qvid usqvam fortiter actum exempla. Cæterum vicini noſtri provideant, qvâ ratione animos firmare poſſint, ad ſimiles, vel (avertant omen Superi) graviores caſus tolerandos. Neqve putent Tyrannum, cujus animum humiles Sarmatarum curæ ad tam deteſtandum impulerunt perjurium, Sanctiora habituros vicinitatis Iura, qvæ cum eis icerit, qvorum Urbibus mercaturâ florentiſſimis, Opibus præſtantiſſimis, ædificiorum cultu ſplendidiſſimis, jam dudum inhiat. Non deterrebunt

bunt hæc, ſed allicient, non extingvent, ſed inflammabunt, per nefas ſacrilegam propagandi Imperij ſitim. Qvis enim non videt hoc unum Tyrannum intendere, qvod in Majorum ejus multo tempore agitatum conſtat fuiſſe conſilio; ut occupatâ patentiſſimâ in omnes partes Europæ regione, omnis grani feraciſſimâ, omnium ad Claſſem inſtruendam, armandamqve neceſſariorum refertiſſima, innumeris ſuis copijs opima aperiat horrea, navium ingentem præparet copiam, qvibus Balticum occupet ſinum, tranſiturus in Oceanum; ut ſic binis claſſibus, velut alis, ab utroqve mari Europam premat, & opprimat; terreſtres copias per apertiſſimos campos (qvà Poloniam ſpectat) in Germaniam effundat, qvà euntem, non montium clauſtra retinere, non fluminum rapacitas poterit retardare. Volvebat hæc Solimanus animo, agitabant ejus Poſteri, nec ulla ab eo conſilio deterritos eos fuiſſe conſtat ratione, qvàm, qvòd viderent univerſos conſpiraturos Chriſtianos ad tuendum hoc Regnum, ex cujus ſalute totius

Euro-

Europæ pendeat integritas, nec deerant illo tempore, tam magnanimi Principes, qui maluiſſent opum ac vitæ propriæ detrimentum facere, qvàm vicini ſibi populi ſalutem periclitantem deſerere. Hac noſtra ætate proh dolor multi non intelligunt, negligunt nonnulli, &, qvod dolendum magis, accerſunt ultrò ad communem omnium perniciem perfidum Chriſtiani nominis hoſtem, indigni Chriſtiano nomine, Barbaris ipſis execrabiliores. Unum Te habent, Sereniſſime Rex, hæc noſtra tempora, qvi, pro ſingulari tua prudentia, animadvertiſti, & judicâſti, per latus Poloniæ univerſam peti Europam, cujus periculum ad omnes pertinet Chriſtianos. Solenne Ottomanorum eſſe, bella cum bellis ſerere, & regna regnis cumulare; qvi non contenti, Aſiæ, Africæ, & majoris Europæ partis Imperio, qvidqvid reliqvum eſt prædæ deſtinant, nec ſibi per Religionem licere aliter poſſe opinantur. Vidit hæc Majeſtas Veſtra ſingula; unde & hanc gloriam eſt conſecuta ambigentibus cæteris Principibus

qvid ſentirent, ſolam Majeſtatem Veſtram, qvod Chriſtianæ Reipublicæ expediret maximè & vidiſſe & elegiſſe, authoremqve reliqvis extitiſſe, ut dum licet mutuis auxilijs, communibus ſubſidijs, tantæ immaniſſimi hoſtis obviam eant libidini, cujus opes, inteſtinis ipſorum diſſidijs, eò creverunt potentiæ. Perge porro invicte Rex, & hanc dexteram non armis magis qvàm pietate notam, tuam fidem imploranti porrige Poloniæ. Defenſor fidei appellaris, commune Numen, nè blaſphemetur, provide. Imitare Majores tuos, qvibus haud grave fuit, è proprijs Barbaros eruere latebris, & ultimis Syriæ finibus Britannici nominis gloriam terminare. Abundè ampliſſimis Majeſtatis Veſtræ ditionibus ſuppetunt, qvæcunqve ad reprimendas potentiſſimi hoſtis vires reqviruntur. Procerum copia, populi multitudo, omnis generis apparatûs vis immenſa; ne patiatur Majeſtas Veſtra peritiſſimos rei militaris Anglos, belliçoſiſſimos Scotos, Hybernos ferociſſimos, conjunctiſſimi Majeſtatis Veſtræ Regis,

& amiciſ-

& amicissimæ gentis discrimina spectare otiosos, ac tam latè serpens incendium in propria potiùs operiri domo, qvàm in vicina dum licet restingvere, in alieno discrimine propria curare pericula, nec præsentia duntaxat intueri, sed futura prospicere. Erit celebratæ Majestatis Vestræ prudentiæ, erit & magnanimitatis, qvàm uterqve admirabitur Orbis, qvàm sera prædicabit posteritas, qvàm servata venerabitur Polonia. Serenissimus verò Rex meus, uti nunc particularem erga se affectum, qva potest maxima animi gratitudine complectitur, ita in posterum eum se Majestatis Vestræ declarabit amicum, qvi & secundis Majestatis Vestræ rebus ex animo faveat, & adversis, si qvæ impendeant, non secus qvàm proprio commoveatur discrimine.

Ejusdem Illustrissimi & Excellentissimi PRINCIPIS, &c.

ORATIO IV.

Habita ad Sacram Reginalem Poloniæ & Sveciæ Majestatem Ludovicam Mariam in Templo Collegiato Varsaviensi, die x. Martij. Anno MDCXLVI.

Cùm eandem Majestatem Reginalem Sponsam Serenissimi Vladislai IV. Poloniæ & Sveciæ Regis, uti Sponsi nomine salutaret.

HOc demum supererat agendum admirando Septentrionis Exornatori, Regi inclyto, ut inter horridos gelidæ brumæ rigores, florens & fragrans a Gallijs transplantaret Lilium, & sub ipsa Arcto vere ineunte Hesperios hortos instauraret, virentes nempe laureæ, & in ævum vigentes palmæ tot Orbis Climatum Triumphatori candidum in consor-

consortium gloriæ jam olim pollicebantur florem, coronaturum victrices genas, illa divinitus nuncupata, Viri CORONA. Talem Te hodie salutat, ô Flos Principum, Regum gloriosissimus, & innexum triumphalibus Lauris, novum, insigne, conspicuum frontis suæ decus veneratur. Magna ades Hospes, Maxima Sponsa, eum occupatura Thalamum, qvem tot sæculis Augustorum Cæsarum Filiæ, Neptes, Proneptes coluerunt, Regum & Orbis genituræ Patres. Sic nempe fata destinarunt, ut Ludovicæ Mariæ Augustæ virtutes non nisi augustarum succederent auspicijs, & sangvini, impares illæ visæ nuptiæ, in qvarum comparatione qvid majus reperiretur non sorte nascendi, sed prudentissimi Regis judicio, ad Sceptra vocaris, prima post Leonoram Augustam Gonzagæ genti Regium illatura decus, cujus Consangvinitatem jam olim amplexa Gallorum Regia, arripuit Cæsarum domus, & in qva reliqviæ Palæologi Sangvinis Orientalis Imperij, nova, si Dijs placet, servant auspicia, huc

Huc Te benigna evocarunt fata, fortissimi Herois Consortem futuram, an non licet sperare eam felicitatem, qvam tantorum, non Planetarum, sed Numinum conjunctio pollicetur? Qvidni Victores paritura es, qvæ tot Barbarorum vicisti Victorem, Majestatis Tuæ eximijs virtutibus, non fasces aut secures, sed Heroici pectoris amorem submittentem. Iungit hanc dexteram, Orbis Christiani protectricem, dexteræ Tuæ, Orbis Arctoi Regum maximus, jungit cor, & affectum, & felicissimæ Regiæ auspicia, Sociam Thalami, Consortem Imperij Sceptrorumqve, ex amplissimi Senatûs consilio, Majestatem Tuam dixit, & qvod felix, faustumqve Orbi Christiano sit, eundem Thronum occupare jubet. Qvod si præterea aliud conjugalis amoris Majestas Vestra desiderat pignus, unici Filij inæstimabile participat, securus à Majestate Vestra non novercali aspectu proseqvendum. Crescit ille in spem Regnorum, paternas conservaturus palmas, hunc Majestas Vestra Materno fovebit sinu, nec patietur in ejus

educatione tam luculentam bene merendi de Orbe Christiano elabi occasionem. Qvid amplius ab amantissimo Sponso desiderare Majestas Vestra possit, ipsa cogitet, idqve sibi persvadeat, eum, à cujus conspectu nemo subditorum tristis recedit, tantæ Hospiti nihil negaturum, cui se ipsum ultrò dedit. Sed anteqvam ad Sacra Divûm Altaria, ea renovaturus vota, qvæ per Legatum suum Virum Illustrissimum spopondit, accedat, supremum precatur Numen, ea velit esse fausta, felicia Ecclesiæ Catholicæ, qvassatæ tot procellis Christianorum Reipublicæ, Patriæ nostræ, unico reliqvorum Regnorum antemurali, & utriusqve Majestatum Vestrarum inclytæ Familiæ. Applaudunt fideles subditi, & pro incolumitate utriusqve, libera capita devovere parati, inter tranqvillos Majestatum Vestrarum Hymæneos, & lætas innocuasqve faces, prisca Polona fide & candore, iterum, iterumqve ingeminant, Vivat Rex, Vivat Regina.

Ejuſdem Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi
PRINCIPIS, &c.

ORATIO V.

Habita coram Sereniſſimo Venetiarum Principe, & Collegio die xiv Ianuarij Anno MDCXXXIII.

HOſpitæ non ita pridem ſuæ, nunc amicæ, & Sociæ Veſtræ huic Sereniſſimæ Reipublicæ, gratum lauti, & luculenti hoſpitij animum teſtaturus Vladiſlaus Poloniæ & Sveciæ Rex Sereniſſimus, eadem Legatione, qva ſupremo DEI in terris Vicario obedientiam præſtitit, amorem, & benevolentiam ſuam declarare voluit. Non oppreſſit grave tantorum Regnorum diadema, præteritorum temporum memoriam, nec extinxit totius penè Orbis fervens erga ejus Majeſtatem cultus, acceptorum olim ab amicis officiorum gratitudinem, & reliqvorum qvidem Principum arcta conſangvinitatis, aut affinitatis neceſſitudo,

jure

jure qvodam ſuo omne genus benevolentiæ erga peregrinum tum Principem repoſcere videbatur; Sereniſſimæ hujus Reipublicæ humanitas qvò liberior, eó accidit Regi meo gratior, ejusqve porro recordatio, in Regia ipſius Majeſtatis mente, viget jucundior. Viget & gratitudo reciproca, qvam ejus Majeſtas juſtitiæ partem eſſe omnino arbitratur, nec eum qvi mortalibus ingratus fuerit, DEO debitam præſtiturum pietatem. Ab hac autem auſpicatus fauſtum ampliſſimarum ditionum imperium, illi qvoqve litare voluit, & Sereniſſimæ Reipublicæ Veſtræ bono, qvidqvid acceſſit dignitatis, potentiæ, fortunæ, candido devovere animo. Duos Polonorum Reges hoſpitio exceperunt Venetiæ, ſed hunc meliori omine, illum enim adverſa fata, è ſecuro Throno ad tragica Patriæ Sceptra rapiebant, hujus laureato (poſt tot erecta de barbaris trophæa) capiti, non fortunæ, ſed virtutis manibus fabrefactum Diadema jam tunc Cælum deſtinabat, ac proinde in partem ipſius gloriæ, & fortunæ,

hanc qvoqve Rempublicam vocabat. Nec verò solùm jus hospitij eum amorem, qvo hanc Rempublicam Serenissimus Rex meus prosequitur, excitavit, Vestra libertas, in Rempublicam Christianam merita, Religionis integritas, in colendis amicis constantia, in prosperis summa moderatio, in adversis infracta magnanimitas, amare Venetos, & admirari jusserunt. Nempe in sinu libertatis natus, ejusqve lacte educatus Princeps, veneratur Nutricis suæ antiqvissimum cubile, in qvo post varia naufragia barbariei, & tyrannidis hinc inde jactata procellis bono omine primùm conqvievit. Et qvidni amet illam, qvæ non solum animum Regiæ potentiæ innatum, non id qvod lubet, jubere, sed ex præscripto legum, libero populorum consensu sancitarum, subditos regere, longè meliùs docuit; verùm etiam ejus virtutes, liberis liberæ gentis judicijs Orbi clariores reddidit, & non sorti nascendi, sed meritis tantùm præmium se detulisse testata est. Qvidni illam amet, qvæ sola Regium caput reddit securum, arcet invidiam.

diam, Principem, & populum indissolubilis benevolentiæ vinculo connectit. Hoc verò demum regnare est. Qvod si autem morum similitudo hominum generat amicitiam, qvantùm Regi meo, & Reipublicæ Polonæ erga hanc Vestram amoris accedere necesse est, ex hac paris libertatis æqvalitate. Sed & clarissima hujus Serenissimæ Reipublicæ merita, exantlatiqve pro Christiani nominis gloria labores, hanc texunt paritatem. Polono siqvidem & Veneto cruore mutavit sæpènumero Luna Ottomanica colorem. Qvid de fervido fidei, ac religionis studio dicam, impervia templa vestra hæresi, nec ulla unqvam adversùs DEUM rebellione polluta. O ingens bonum! arcebit non dubitate ab hac Republica omne exitium is, à cujus Altaribus Respublica sacrilegas Hæreticorum arcet manus, & Marci doctrina firmata, falsa eorum contemnit dogmata, sacrosanctè demum & constanter culta amicitiæ jura, maximum ad amplectendam hujus Reipublicæ societatem Regi meo addiderunt incitamentum. Hæc siqvidem

unica gloria, omnes in unum congestas longè superat felicitates, hujus causâ vel perire dulce est. Hanc Rex meus amplectitur, hujus possessione Polonorum gens universa gloriatur. Agite ergo, Tu Serenissime Princeps, vosqve Proceres inclyti, hospitem olim vestrum, nunc Polonorum, Svecorumqve Regem Potentissimum, Septemtrionis, & Orientis terrorem, Christianorum decus, & ornamentum, officiorum Vestrorum gratissimum, in amicitia constantissimum, Vestræ Reipublicæ amicum, qvod bene cedat Christiano Orbi, dicite, & agnoscite. Et si qvando immanis Turcarum rabies perfidiæ conjuncta, ejus Majestatis arma lacessiverit, id agite, qvod ab amicis, socijsqve tanti Regis desiderari, qvod a magnanimitate, & prudentia Vestra potest expectari. Serenissimus porrò Rex meus, uti omnem Vestram felicitatem suam esse putat, ita vestro, si qvod emerserit periculo, non secus ac suo proprio commovebitur discrimine.

Ejusdem Illustrissimi & Excellentissimi
PRINCIPIS, &c.

ORATIO VI.

Habita Thorunij die XXVIII. Augusti
Anno MDCXLV.

Dum nomine Sacræ ac Serenissimæ Regiæ Majestatis Vladislai IV. publicâ in Colloqvio charitativo Legatione fungeretur.

REdivivum tranqvilla veneretur Constantinum Polonia. Non uno Maxentio domito, & gloriâ Crucis, ultra Istrum & Tanaim prolata, Vladislaus Regum constantissimus, inter virentia, ac florida Almæ pacis, qvæ ipse plantavit oliveta, de tam beata semente solicitus, tempestivâ curâ ejusdem indemnitati decrevit prospicere. Terret in propria crudelis viscera, à medio jam pæne ævo, conceptus, Orbis Christiani furor; qvo velut œstro perciti

concivium, cognatorum, imò fratrum animi, prætextu Religionis, & Sacrorum, Religionem evertunt, Sacra profanant, & polluunt, sangvinem tot innocentium exhauriunt, Rempublicam Christianam tot propugnatoribus spoliant, & intentis tam luculentæ occasioni Barbaris produnt, & prostituunt. Valida nempe in animos hominum Religio, eos vel arctissimâ stringit compage, vel si ipsa scinditur, ipsâ disrumpit, ac dilaniat; ut ne ipsis qvidem naturæ vinculis parcat, qvamvis universo generi humano summè venerandis. Illa qvam optimus qvisqve se Creatori optimo debere profitetur, gratitudo non patitur alios cancellos, aut ligamenta, præter intentam in id, qvod ei credit placere voluntatem, qvæ ut recto processerit tramite, aut ab eo deviaverit, mortalium mentes, opinionis suæ tenaces, vel in se ipsas armat, & acuit. Hinc à communi Christiano nomine, & jure exulat, proh dolor! Christiani amoris, & unionis communio, & illud ferrum, qvo Christi propaganda erat gloria, in ejus sævit membra

bra, imò viſcera. Sola hucusqve Polonia, prudentiſſimâ Majorum noſtrorum moderatione, tantæ feritatis expers, placidâ tolerantiâ, mutui inter concives amoris affectum, qvamvis ſæpe renitentem retinet, ac fovet. Sed hæc univerſalis, qvæ totam inficit Europam, contagio, an non metuenda? imbibent noſtrorum animi, vel ex vicinia, vel uſurpata inter exteros peregrinantium converſatione, peregrina vitia, & uti in Sole deambulantibus evenire conſvevit, ſenſim ſe infuſcari, haud ſentient. Hinc promanat, provida S. R. M. Domini noſtri Clementiſſimi ſolicitudo, qvæ dies, noctesqve cor, & mentem Regiam incitat ad procurandam (ſtabilitâ jam politicâ) pacem Eccleſiaſticam; uti nempe unicam illius nutricem. Cùm verò pacis origo ſit amor, & concordia, præmiſſa matura Cleri in Provinciali Sacra Synodo congregati deliberatione, ad hoc charitativum, & fraternum colloqvium, Diſſidentes opinionibus in Religione Chriſtiana ſubditos ſuos, clementiſſimè evocare conſtituit. Qvo (remotis illis acerbitatum al-

tricibus scholasticis nempe concertationibus)de vero, genuinoqve uniuscujusqve opinionis sensu, tranqvilla collocutione discent fraternè colloqvi, & remotis calumnijs, falsis traductionibus, & imposturis, unius ab altero abhorrentiam deponere. Qvod ubi processerit, non dubitat Sacra Regia Majestas, reliqvum genuinæ differentiæ faciliùs componi, & extinctis odijs, spiritum illum, qvi in turbine non operatur, sed sibilo leni inspirat, & aura svavi incomprehensibilis potentiæ suæ disponit, ad illuminanda solo Divini honoris zelo accensa pectora provocari, & allici posse. His verò præmissis conciliabuntur demum praxes, corrigentur mores, profligabuntur scandala, & unius ad alterum postliminio revocabitur fiducia. Et ecce brevis descriptio scopi, ad qvem Sacra Regia Majestas collimat, qvem consecuturum qvis dubitat? hoc tam freqventi, & ad secundanda ejus vota, tam prono concursu, qvem auxisset libentissimè suâ ipsius præsentiâ, ut sic demum, Constantini Sarmatici, totum nomen impleret, si

tot diverſæ Regnorum curæ, unam Reipublicæ partem curare permitterent. Me tamen remotâ tantiſper, à communis Patriæ gubernaculis, vicariâ manu, ſuas hîc vices curare, & nomen ac omen inferre voluit, ut mutuæ charitati, paci, tranqvillitatiqve facem præferrem. Qvod dum ego tanti Regis, veriqve patriæ patris nomine ago, Adeſte animis, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi, Doctiſſimi, ac Eruditiſſimi Viri, & qvo fine, ita DEO diſponente, in hunc confluxeritis locum, accuratiùs expendite. Hoc nempe illud tempus eſt beatitudinis Veſtræ, ſi Eccleſiam, & illi ſubditum Orbem, pace beaveritis; hoc tempus felicitatis & gloriæ hujus ampliſſimi Regni eſt, ſi Veſtrâ curâ & ſolicitudine, veſtro affectu & charitate, natu in Eccleſia minori contigerit, per reſtauratam in Eccleſia pacem, primogenitura. Qvod ergo benevertat nomini Chriſtiano, Eccleſiæ, & Reipublicæ ad opus Vos

accingite,

accingite, ubi manuducentem Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri clementiſſimi, inſtructionem prælegendam, noſtræqve Legationis fiduciarias intellexeritis.

PANEGYRICUS XII. LATINI PACATI DREPANII THEODOSIO AUG: DICTUS.

ARGVMENTVM.

Latinus Pacatus Drepanius, quem Proconsulem Ausonius dixit, eiq; Ludum VII. Sapientum & Idyllion XII. inscripsit; è Gallia missus Romam Theodosio victoriam de Maximo tyranno gratulaturus, laudat primùm privatas virtutes Theodosij, deinde publicas imperij

SI quis unquam fuit, Imperator Auguste, qui te præsente dicturus ante trepidaverit: eum profectò me esse & ipse sentio, & his, qui consilium tuum participant, videria posse video. Nam cum te semper ultr

omnes retro principes laudari oportuerit, nunc porro ultrà, quàm alias, prædicatus es, in ea urbe conveniat dicendo celebrari, cujus & libertatem armatus asseruisti, & auxisti dignitatem togatus; quo tandem modo consequi majestatem utriusq; vestrûm oratione mea potero? hoc præcipuè in tempore, quo ambo ita mutuò crevistis, ut nec tu fueris adhuc major, nec illa felicior Huc accedit auditor Senatus, cui cum difficilè sit pro amore, quo in te præditus est, de te satis fieri; tum difficiliùs, pro ingenita atq; hereditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc & incultum transalpini sermonis horrorem, præsertim cum absurdæ sinistræq; iactantiæ possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usq; usus derivatio sera traduxit. Quibus equidem cogitatis adeo solicitor, ut non eos tantùm hodie arbitrer interesse, quos cerno, sed assistere obversariq; dicturo Catones ipsos, & Tullios, & Hortensios, omnesqve illos Oratores putem, qui me in po-

steris

ſteris ſuis audiunt. Ita multiplici circumventus metu, quaſi parùm habeam timere quod video, (fingo) quod timeam.

Quid ergo? novusné me pavor, & inopina trepidatio in ipſo dicendi tempore deprehendit? Mihi verò ij omnes, quibus altrinſecus iactor, æſtus diu ante meditati, longèq; proſpecti ſunt. Sed cùm admiratione virtutum tuarum ab ultimo Galliarum receſſu, quà littus Oceani cadentem excipit Solem, & deficientibus terris ſociale miſcetur elementum, ad contuendum te adorandumq; properâſſem, ut bona quæ auribus cœperam, etiam viſu uſurparem; timui, fateor, pij laboris officium impia taciturnitate corrumpere. Ita dum obſequio interpretor impudentiam, dum in eundem hominem non puto convenire gaudium & ſilentium; duas res diverſiſſimas junxi, metum & temeritatem. Quin & illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem, nullus adigebat, non enim jam coacta laudatio, & expreſſæ metu voces periculum ſilentij redimunt. Fuerit, abieritq; triſtis illa facun-

diæ ancillantis neceſſitas, cum trucem dominum, auras omnes plauſuum publicorum ventoſa popularitate captantem, mendax aſſentatio titillabat, qvum gratias agebant dolentes, & tyrannum non prædicâſſe, tyrannidis accuſatio vocabatur. Nunc par dicendi tacendiq; libertas, & quàm promptum laudare principem, tam tutum ſiluiſſe de principe. Libet igitur redditam poſtliminio ſecuritatem loquendo experiri; libet, inquam, quia neminem magìs laudari Imperatorem decet, quàm quem minùs neceſſe eſt.

Det igitur mihi ſermonis hujus auſpicium ille felicitatis publicæ auſpex dies, qui te primus inauguravit imperio, nam ut Divinis rebus operantes in eam Cæli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium eſt; ſic ego vota verborum, quæ olim nuncupaveram, ſoluturus, id oratione mea tempus arripiàm, quo Romana lux cœpit. Iacebat innumerabilibus malis ægra, vel potiùs dixerim, exanimata reſpublica, barbaris nationibus Romano nomini, velut quodam diluvio, ſuperfuſis

fusis. Sed parcam replicare caussas, & placatum vulgus offendere, nam cum per se vivax sit recordatio calamitatum, tum mihi metus hanc gaudiorum præsentium lucem tristium commemoratione fuscare. Faciam ergo, quod facere præstantes scientia medicos sæpe vidi; altorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, per sententias isse, & singulos universosque rogitasse contentus, an, cum inter omnes liqueret, fessis rebus medendum, tali aliquo viro publicis gubernaculis admovendo, qui Imperatoris unius tueretur ætatem, alterius iuvaret laborem, potuerimus hujusmodi principem vel optare. In integro itaq; rem totam esse faciamus, & in quodam orbis terrarum comitio quæri putemus, quisnam sit ille, qui debeat tantam molem subire, & nutantia Romanæ rei fata suscipere. Nonne is omnium suffragijs hominum tributim centuriatimq; legeretur, cui felix patria, cui domus clara, cui forma Divina, cui ætas integra, cui militari-

um civiliumq; rerum usus contigisset?

Cuncta igitur à capite proposito ordine prosequamur, jam profectò constabit eum principem declaratum, qui & ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. Nam primùm tibi mater Hispania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atq; adeo ditandæ impensiùs, quàm cæteris gentibus, supremus ille rerum fabricator indulsit. Quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusq; temperie: quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata, naturæ solertis ingenio, velut alter orbis, includitur. Adde tot egregias civitates, adde culta incultaq; omnia vel fructibus plena, vel gregibus; adde auriferorum opes fluminum; adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Pòëtarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula: quæ, ut sint vera, sunt singula, nec jam excutio veritatem. Sint, ut scribitur, Gargara proventu læta tritico,

Mevania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hispaniæ uni, quidquid ubiq; laudatur, assurgat. Hæc durissimos milites, hæc experientissimos Duces, hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates parit: hæc Judicum mater, hæc Principum est. Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Adrianum misit imperio, huic te debet imperium. Cedat his terris terra Cretensis parvi Iovis gloriata cunabulis: & geminis Delos reptata numinibus; & alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem constare nescimus auditis: DEUM dedit Hispania, quem videmus.

Erat justæ compensationis occasio, ut, qui de patriæ tuæ laudibus pauca dixissem, Patris saltem virtutibus prædicandis prolixiùs immorarer: sed quid faciam? Novam quandam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam, faciam? Quæ Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar? Jam se mihi Sarmatica cæde sangvineus Ister objiciet. Attritam pedestribus præ-

lijs Bataviam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur? Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis Alamanus, & uterq; Maurus occurrent. Cum igitur impediat turba delectum; ad hoc tanti viri gesta præstet in summam referre, quàm enumerando tenuare. Dixisse sufficiat, unum illum divinitùs exstitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur. An si ejus sæculo mos ille vixisset, quo Romani Duces Macedonici, Cretici, Numantini de vocabulis gentium subactarum adoptivum insigne sumebant: nonne hodie pauciora in annalium scrinijs, quàm in vestræ domûs titulis, cognomenta legerentur; qvum ipse Saxonicus, ipse Sarmaticus, ipse Alamanicus diceretur, & quantùm tota respublica habet hostium, tantùm una familia ostenderet, & triumphorum?

Sed quid necesse est mitti in præteritum diligentiam, curiosam? Patrem, Imperator, tuum de te æstimemus. Nec difficilis

ficilis conjectatio est, nam cum duo sint, quæ claros Duces faciant, summa virtus, summaq; felicitas; scire obvium est, quã præditus fuerit virtute, qui te docuit, quã fuerit felicitate præditus, qui te genuit. O digna Imperatore nobilitas! ejus esse filium Principem, qui Princeps esse debuerit, qui hunc Romani fastigij apicem non solùm fortitudine atq; sapientiã, sed decore etiam corporis & dignitate potuerit æquare! velut tua hæc forma venerabilis, quàm fortunæ suæ par est? quàm longè latèq; conspicua commendat imperium? ut planè in ambiguo sit, utrumné te magis nostris mentibus virtus, an obtutibus vultus insinuet. Non frustra planè opinione sapientûm, qui naturalium momenta causarum subtiliùs sciscitati, arcanis cælestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæq; species plurimùm creditur trahere de Cælo, sive enim Divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, sive cùm venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, sive aliud ex altero crescit, & cùm se paria junxerunt

runt, utraq; majora ſunt, parcam arcanum cæleſte rimari. Tibi iſtud ſoli pateat Imperator, cum DEO conſorte ſecretum. Illud dicam, quod intellexiſſe hominem, & dixiſſe fas eſt; talem eſſe debere, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata vel publica vota redduntur, à quo petit navigaturus ſerenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auſpicium.

Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam: ſed patere eam in laudum tuarum parte conſtitui, quæ ſolebat in alijs ſola laudari. Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium. Illa præſtitit ut oporteret te Principem fieri; hæc ut deceret. An verò quidquam putamus in imperij tui declaratione prætcritum, cùm ductam eſſe rationem ipſorum etiam videamus annorum? cujus quidem rei tanta fuit cura majoribus, ut non ſolùm in ampliſſimis magiſtratibus adipiſcendis, ſed in præturis quoque, aut ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata ſit petitorum, nec quiſquam tantùm valuerit nobili-

nobilitate, vel gratiâ, vel pecuniâ, qui annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occupârit. Nec injuria id quidem, nam & qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico, ut non cadant, titubant. An non clariſſimos nominis Romani viros (Sullas, Catulos, Scipiones loquor) aliquantisper ſibi luxuria vindicavit? quos etſi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo iactavit, & naufragos atq; fluitantes, ab illis, quibus merſabantur, erroribus ægrè ætas recepit. Bene igitur cuncta quadrârunt, & cæteris, quæ innumera congruebant, anni quoque ſuum junxêre ſuffragium, qui ſoli in homine perfecti, bono duarum potiuntur ætatum, virtute juvenum, & maturitate ſeniorum. Prius fortaſſe imperium inire debueris, ut diutius imperares; ſed ſine exempli periculo providebitur, ne quid amiſeris. Vitâ longiore penſandum, quod ex præterito perdidiſti, parùm intereſt, quando cœperit, quod terminum non habebit.

Hactenus

Hactenus in te prædicata ſint Impera-
tor, dona fatorum: nunc ad ea proferamus gradum, quæ tibi debes. Neq; enim tua illa præterita bellicæ rei gloria, quam per tot laborum experimenta quæſîſti, adſcribenda fortunæ eſt. Cui hoc nomine etiam ſuccenſeri poteſt, quòd, quem ſceptro & ſolio deſtinaverat, nunquam indulgenter habuit: ſed ut ſeveri Patres his, quos plùs diligunt, filijs triſtiores ſunt; ita illa te plurimis bellis, & difficillimis reipublicæ temporibus exercuit, dum aptat imperio. Et priùs quidem quàm ad illa veniam, quæ ævi maturus egiſti, ſummatim tuum illud attingam cum Patre divino caſtrenſe collegium, actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, dies noctesq; præliando, aut vigilando conſumptas, graviſſimas pugnas terra mariq; pugnatas. Non tam patiens Africanus prima rudimenta militiæ ſub Paulo Patre toleravit, nec pari indole Hannibal puer in tentoria Hiſpana ſucceſſit, nec futurarum ſpe certiore virtutum, Philippea caſtra Alexander, nondum magnus, implevit

vit. Quos etsi plurimâ laude dotaverit amplificatrix veri vetustas, nihil plùs tamen blandita præstitit, quàm ut eos in his annis secutos Regum aut Ducum castra vulgaret, in quibus tu ita fortiter multa gessisti, ut ea non tantùm Alexander, aut Africanus, aut Hannibal videre dum discerent, sed parentes atq; institutores eorum optâssent facere, dum docerent.

Quâm tecta sunt semper consilia fortunæ! Quis, quæso, tum publicis rebus non putâsset inimicum tuum illum â statione castrensi ad quietem receptum? Enimverô illa futurum Principem comens idcirco paulisper voluit esse privatum, ut, quia jam ad plenum bellicis artibus abundabas, usus civilis experiens sub otij tempore reddereris: quod ego tuum otium aliorum negotijs anteverto. Non enim te amœna littora, nec dispositi ad temporum vices habuêre secessus, sed sive tu agris, sive oppidis tempus dabas, rem & famam pariter augebas. Et in urbibus quidem omnium ætatum ordinumq; homines his aut illis beneficijs apprehende-

bas

bas, amicorum commoda, abſentium negotia aſſiduitate, conſilio, re juvabas. Jam ſi placuiſſet oppida rure mutare, ut tu vitæ oblitus urbanæ exequebaris agricolam? Audio etiam, Imperator, & credo, ſæpe aliqua te laborum tibi injunxiſſe, & ne contraheres corporis veternum, cujuſcemodi ſemper opere inſidiantis otij terſiſſe rubiginem. Sic agreſtes Curij, ſic veteres Coruncani, ſic nomina reverenda Fabricij, cùm induciæ bella ſuſpenderant, inter aratra vivebant; & ne virtus quiete langveſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iovis laureis, triumphales viri ruſticabantur. Inde eſt quod accepimus, datos ferentibus faſces, & miſſas cum curulibus ſuis per rura palmatas, quòd agricolas conſulares, paſtoresq; trabeatos, & dictatores inter armenta veſtitos. Sed illos quidem anguſta res familiaris addicebat labori, ut quibus ipſis ſuburbani horti, præcepsq; Ianiculum, & jugera arctata pomerio vomere eſſent, aut ligone verſanda, nec injuria opus reverteretur ad dominos, cùm deerant quibus juberent. Detrahit lau-

laudem patientiæ inopia: majoris exempli est labor sine necessitate.

Gaudent profectò Divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Ut indefessa vertigo Cælum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, ut stare Sol nescit, ita tu Imperator, continuatis negotijs, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. Vix tecta Hispana successeras, jam Sarmaticis tabernaculis tegebaris: vix emerita arma suspenderas, jam hosti armatus instabas: vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas. Ne tum quidem, cùm in altiorem provectus gradum, jubere tantùm, & dividere cum negotijs otium, & parta gloria velut reposito frui posses honore, operam remisisti, quin omnium castrensium munerum numeros primus, aut cùm primis obires, stare pro signis, excubias sorte agere, vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux consilio esse

esse, miles exemplo: ut jam tum posset intelligi, alios Imperatori pugnare, te tibi. Illud tamen præ cæteris mirum, quòd cùm omnia faceres, ut imperare deberes; nihil tamen faciebas, ut imperares.

Argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu cùm ad suscipiendam rempublicam vocabaris, oblatum imperium deprecatus es: nec id ad speciem tantùm, ut cogi videreris; sed obnixè, & diu, & velut impetraturus egisti, quippe aberat causa fingendi, non enim te Princeps solus & domi, & tanquam tentaret, ambibat: sed publicè, & in comitio, & ut aliud jam facere non posset: prorsus ut nisi imperium affectu simplici noluisses, potueris velle securus. Expostulari hoc loco tecum reipublicæ verbis necesse est, quæ in summam tuâ cunctatione formidinem à media spe relapsa, tali aliquâ te profectò, sed quam solus audires, voce convenit: *Parùmne me Theodosi hactenus distulere fata, ut tu insuper tentes moras augere fatorum? An nescis rem tuam per momenta consumi? Nescis me tibi tuisq; decrescere? quidquid*

quid atterit Gothus, quidquid rapit Hunnus, quidquid aufert Alanus, id olim desiderabit Arcadius, perdidi infortunata Pannonias: lugeo funus Illyrici: specto excidium Galliarum. Principum senior in tanta bella non sufficit; alter etsi futurus sit aliquando fortissimus, adhuc tamen parvus est. Tu dubitas excipere collapsam, & , ut nihil differas, serò reparandam? Hanc mihi gratiam refers, quod te etiam felix desideravi? quod, cùm me Nerva tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret; cùm mœnibus Augustus ornaret, legibus Adrianus imbueret, finibus Trajanus augeret, parùm mihi videbar beata, quia non eram tua? Quid tu mihi faceres, si juris tui esses? Orat ecce te dominus meus, orat ecce te dominus adhuc tuus, & qui posset cogere, mavult impetrare. Imperium, quod ab Imperatore defertur, tam tibi nolle jam non licet, quàm velle non licuit.

Solus igitur Auguste, solus, nquam, omnium qui adhuc imperaverunt, ut Princeps esses, præstitisti. Alios empta legionum suffragia, alios vacans aula, alios ad-

finitas Regia impoſuêre reipublicæ: te nec ambitus, nec occaſio, nec propinquitas Principem creaverunt, nam & eras à familia Imperatoris alienus, & adſciſcebaris tertius, & cogebaris invitus, invitus, inquam. Audite hoc publici parricidæ, qui oblitâ fide, dominorum ſceptra cœpiſtis, & periculo non minore quâm ſcelere, imperium vita paciſcentes, ſangvinis pretio regium nomen emiſtis; repulſam patitur Principatus, & unus eſt ambitus candidati, ne declaretur. Credetné hoc olim ventura poſteritas, & præſtabit nobis tam glorioſam fidem, ut noſtro demum ſæculo annuat factum, quòd tantis infra ſupraq; temporibus nec invenerit æmulum, nec habuerit exemplum? Sed qui vitæ tuæ ſectam rationesq; cognoverit: fidei jncunctanter accedet, nec abnuiſſe dubitabit imperium ſic imperaturum. Illi enim, illi avidé Regna deſiderent, quos ſoluta legibus vita delectat, quorum crudelitas indemnatos necandi, cupiditas privata rapiendi, libido honeſta fœdandi, jus atq; impunitatem requirunt. Quid

tua

tua intererat te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore privatus? nisi fortè in te hodie aut pudicitiæ remissior cultus, aut minor sangvinis humani metus, aut alienæ rei major est appetitus. Idem es qui fuisti, & tantùm tibi per te licet, quantùm per leges licebat. Jus summum facultate & copiâ commodandi, non securitate peccandi experiris. Unum tibi præstitit Principatus, ut certum haberemus omnes, etiam sub Imperatoribus alijs vixisse te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter cùm potest, nunquam voluit.

Quin ubi primùm te imperio præstitisti, non contentus ipse ultra vitia recessisse, alienis vitijs corrigendis curam adjecisti; idq; moderatè, ut svadere potiùs honesta, quam cogere videreris. Et quia vel longo orientis usu, vel multorum retro Principum remissione, tantus quosdam luxus infecerat, ut adulta consvetudo lasciviæ haud quaquam facilè videretur obtemperatura medicinæ, ne quis se pati injuriam putaret; à te voluisti incipere censuram, & impendia Palatina minuendo,

nec solùm abundantem recidendo sumptum, sed vix necessarium usurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendâsti volentes. An quis ferret moleste, ad Principis semet modum coërceri? aut subtractum sibi doleret de privata luxuria: cùm videret Imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumq; dominum, parcè contentéq; viventem, modico & castrensi cibo jejunia longa solantem? ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasijs duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem? neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini àëris volucrem, alieni temporis florem?

Nam delicati illi ac fluentes, & quales tulit sæpe respublica, parùm se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatâssent, nisi æstiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat noster orbis. Namq; appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimantes, illis de-

mum cibis adquiescebant, quos extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium aut famosa naufragijs maria misissent, quos invitæ quodammodo reluctantiq; naturæ hominum pericla rapuissent. Ut taceam, infami sæpe delectu scriptos in Provincijs aucupes, ductasq; sub signis venatorum cohortes militâsse convivijs: nonne cognovimus cujusdam retro Principis non prandia sæpe, sed fercula sestertium millies æstimata, patrimoniorum equestrium pretia traxisse? Tuæ, Imperator, epulæ, mensis communibus parciores, locorum ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parsimoniæ cultus inolevit, & quiescentibus legum minis, subijt quemq; privatim sui pænitentia. Sic est enim, sic est, exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo.

Sed cum hæc, & ad hunc modum cætera, mores hominum & instituta formârint, tum nihil abdicandis vitijs, adoptandisq; virtutibus impensiùs sentio profuisse, quàm quòd his te viris semper dedisti,

quos affectare publica deberet imitatio, qui, quàm faciles tibi fuissent sequacesq́; discipuli, tam cæteris expetendi essent magistri. Ut de his sileam, quos tibi primus ille nascentis imperij dies obtulit, tantis virtutibus præditos, ut non pro copia sumpti, sed ex copia viderentur optati, quot tu postea qualesq́; legisti, quibus Provinciarum custodiam, quibus militaris rei summam, quibus consiliorum tuorum arcana committeres? Ergo cum duplex fuerit iste delectus, unus ex judicio, alter ex fato, incertum meliores viros sapientia tua, an fortuna quæsiverit, cum tales vel acceptos habeas, vel repertos, ut & illi meruerint teneri, & isti debuerint cooptari.

Ecquis Imperatorum unquam putavit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? humilis hæc virtus, dubiumq́; an virtus judicabatur, nec palatijs digna, sed pergulis habebatur. Inde faciliùs inveneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo fidem prompserint. Optimus ille ditabat, non etiam diligebat: prodesse noverat

verat, amare nesciebat. Tu amicitiam, nomen ante privatum, non solùm intra aulam vocâsti, sed indutam purpurâ, auro, gemmisq; redimitam, solio recepisti, reque, non verbis adseruisti, Principis mentem tantò in suos benigniorem esse debere, quantò sit fortunâ præstantior, cùm fide ac facultate paribus agas, & familiaribus tuis Imperator tribuas, quod privatus optâras. Quanquam quæ capere vota potuerunt, quod pleriq; te Principe consecuti sunt? nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcunq; conferre Imperatori necesse est. Dux aliquis evehitur? exigit disciplinà castrorum. Præfectus attollitur? imponendum est Provinciæ caput. Consul creatur? habiturus est nomen annus. Ita in summis illis pulcherrimisq; beneficijs est aliqua præstantis utilitas. A te, novâ benignitate, is amicis honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur, nihilq; ex eo ad te redundaret, nisi dandi voluptas. Cui cum essent domi filij, geminæ illæ spes oculiq; reipublicæ, dilatis eorum

magiſtratibus, amicos conſulatus ornavit. Si me hercule vir ille divinus, felicitatis publicæ auctor, parens tuus viveret, quid aliud exſpectàſſet à filio, quàm ut nepotibus anteferretur? Præſtitiſti igitur amicis, quò plùs nec patri præſtare potuiſſes. O benevolentiæ tuæ ſingulare conſilium! auges tempore dignitatem, quæ incrementum ex magnitudine non habebat. Renuntiantur amici ante filios tuos conſules, quia non poterant plùs eſſe quàm conſules.

Eat nunc ſui oſtentatrix vetuſtas, & illa innumeris literarum vulgata monimentis iactet exempla. Pirithoi fidem prædicet, & decantatum omnibus ſcenis Phocæi juvenis laudet officium; Phintiam etiam, ſi videtur, dicat & Damona, quorum alter in amici morte ſe vadem obtulit, alter ad diem vadatæ mortis occurrit. Ut hæc eſſe vera credamus, quæ mendacijs vatum in plauſus aptata cavearum fidem tempori debent, num præſtare credendo plùs poſſumus, quàm ut iſtos, qui amicitiæ laude cenſentur, amicorum fuiſſe quàm

ſui

ſui diligentiores putemus? Sed cum inſtituente natura plùs ferê filios quàm nosmet ipſos diligamus, omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos ſibi præferebat. Sed tu quidem ad exonerandam debentium verecundiam, quæ in tuos confers, non vis videri præſtare, ſed reddere. Geramus tibi morem, & beneficiorum ſummas tuorum pro tua voluntate ducentes, quidquid familiaribus tuis tribuis, non expendi potiùs, ſed rependi putemus. Enimverò cum leviter cognitos, aut etiam ſemel viſos, ijs honoribus ſimul ditas, quibus & amici poſſent eſſe contenti: nonne omnibus vis probare amicum tibi eſſe, qui bonus ſit? Cuicunq; quid publici mandatum fuerit officij, præmium ſpondetur, & redditur. Sibi humilitatem & tenebras ſuas imputet jacens virtus, quæ non obtulit ſe probandam, quod conſcientiæ tuæ ſufficit, honoratus eſt qui probatus.

Velim tamen dicas, unde, cum tantis promiſſa perſolvas, quid cui promiſeris ſcias, nec te vel reipublicæ cura, vel ipſa

illa tuorum beneficiorum turba confundat, ut parcior, tardiorve, tempore quem modove decipias. Quis debitor verecundus ita mutuum ad diem reddit, ut tu, quod promittis, appendis? nec imponi negligentibus arbitreris, quotidie in beneficia tua quærimus, & memoriam convenimus, & ne singulis insidietur oblivio, cum altero quisq; conferimus. Unum invenire non possumus, cujus spem atq; exspectationem non dicam fefelleris, sed, quæ delicatior est querela, distuleris. Solamne me Imperator benevolentiam tuam mirari putas? at ego miror etiam memoriam, nam cui Hortensio, Luculllove, vel Cæsari tam parata unquam adfuit recordatio, quàm tibi sacra mens tua loco momentoque, quo jusseris, reddit omne depositum? utrum te tamen ipse admones? an ut illi majestatis tuæ participi DEO, feruntur adsistere fata cum tabulis: sic tibi aliqua vis Divina subseruit, quæ, quod dixeris, scribat, & suggerat? Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. Nemo

jam

jam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis; quia tam ſint certa, quæ ſpondes, ut tum videantur accepta, cum ſpondes.

Jam id ipſum, quod ante promittis, nonne de ſummo puriſſimæ mentis candore proficiſcitur? nam cujus eſt animi, nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis? ſed denuntiare præſtanda, ut & prolixior ſit ſenſus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, & ſimiles reddat ingratis? animos enim noſtros, ſubitis affectibus impares, proinde lætitia ac dolor, ſi deprehendat, externat. An non illa Romana pietatis notiſſimæ mater, nuntio mali Cannenſis exterrita, filio reduce, quem flebat, d...guit in mortem, nec par eſſe gaudio potuit, quæ ſuperfuerat orbitati? Conſcius igitur cæleſtis arcani, & naturalium depoſitorum, mavis hominibus ſperata procedere, quàm inſperata ſupervenire beneficia. Nec immeritò, namq; fugitiva ſucceſſuum repentinorum voluptas ut occupat, ſic relinquit: felicitas longior

eſt

eſt, exſpectare ſecurum. Itaq; cùm hactenus à natura eſſet ſtatutum, ut bona ſua homines neſcirent, & tum primum inciperent felicitate gaudere, cum cœpiſſent eſſe felices: tu promittendo præſtanda, inveniſti tempus, quod nobis natura ſubtraxerat, ut, quos adepta ſolùm juvabant, etiam adipiſcenda delectent.

Pari benignitate cum plures afficere honoribus velles, quam honorum loca admitterent, & anguſtior eſſet materia voluntate: nec mentem tuam quamvis diffuſum caperet imperium, quem nondum aliquo provexiſti gradu; tamen dignatione es ſolatus. Atq; haud ſcio, an quibusdam conſolatio iſta ſuffecerit. Ille cohoneſtatus affatu, ille menſâ beatus, ille oſculo conſecratus eſt. Ita omnibus, qui te principe ſibi jure confiderent, aut proceſſit dignitas, aut ſatisfecit humanitas: humanitas, inquam, quæ tam clara in Imperatore quàm rara eſt. Nam cum indiſcreta felicium pediſſequa ſit ſuperbia, vix cuiquam contigit & abundare fortuna, & indigere arrogantia. Cujus quidem ita majores no-

nostros pertæsum est, ut graviorem semper putaverint servitute contemptum, ejusq; impatientiâ sint coacti, post bellatores Tullos Numasq; sacrificos, & Romulos conditores, regnum usq; ad nomen odisse. Deniq; ipsum illum Tarquinium execratione postremâ hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt superbum, & putaverunt sufficere convicium. Quod si per rerum naturam liceret, ut ille Romanæ libertatis assertor, regij nominis Brutus osor, precariæ redditus vitæ, sæculum tuum cerneret, studijs virtutis, parsimoniæ, humanitatis imbutum ac refertum; nullum toto orbe terrarum superbiæ, libidinis, crudelitatis exstare vestigium; jam te ipsum quà publicè, quà privatim, videret priscorum duritia Ducum, castitate Pontificum, consulum moderatione, petitorum comitate viventem; mutaret profectò sententiam tantò post suam: & cum Romanam dignitatem ac libertatem probaret, meliore in statu Imperatore

ratore te esse quàm consule se fuisset, necessariò fateretur, Tarquinium submoveri debuisse, non regnum.

Sed quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primùm sacras ædes, & dicata numini summo delubra visamus, tum fora, atq; gymnasia, & pro suis extenta porticibus ambulacra miremur: ita in laudibus tuis sanctos palatij ritus, & priscis æquanda cærimonijs instituta venerati, gradum ad illa proferimus, quæ in medio constituta, & ad publicos usus facientia, non partim, sed in commune conducunt: nec parietibus, sed orbe clauduntur: nec tecto, sed Cælo operiuntur. Velut primum illud est, ne statim summa captemus, quod creber egressu exspectantibus populis te fateris, nec videri modò patiens, sed facilis adiri, è proximo accipis vota hominum tuorum: ut, quisquis ille consultor est, etiamsi meruerit (quod est rarùm)repulsam, ferat tamen visi numinis conscientiam. At quàm aliter illorum Principum mos fuit,(quos loquar, notum est,) qui majestatem regiam imminui & vul-

vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod Vestale secretum veneratio occulta consi luisset: nisi intra domesticam umbram iacentes solitudo provisa & silentia latè conciliata vallâssent. Quin si quando in lucem venire, & diem ferre potuissent, lecticis tensisq; subvecti, & densissimâ circum supraq; cooperti virorum armorumque testudine, sensim atq; ad numerum movebantur, tum longè populus abigebatur, nec otiosa viatoris manus plebem verbere submovebat; ut secretum esset in publico. At noster hic omnibus spectandus offertur, nec magis communem hunc diem atq; Solem, quàm nostrum Imperatorem videri licet. Quin, cum vicinum habeant permissa fastidium, nunquam iste mirantes explet oculos, magis magisq; visus expetitur, & novum dictu, præsens desideratur.

Miremur in urbibus tuis, & à tuis populis te videri, quem ferè nulla in solo suo natio externa non vidit: idq; ita crebro, ut pæne tam notus sit barbaris vultus iste, quàm

quàm nobis? nec frustra, cum æstates omnes foris, hyemes domi ducens, civibus hostibusq; pari sorte anni spatia diviseris: & si qui fortè sunt barbarorum, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperint, nominis terrore perculsi, & velut afflati quiescant. Tua enim, Imperator, auspicia, non hæ tantùm gentes tremunt, quas ab orbe nostro sylvarum intervalla, vel flumina, montesve distingvunt, sed quas æternis ardoribus inaccessas, aut continuâ hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abjunctas natura disterminat, non Oceano Indus, non frigore Bosphoranus, non Arabs medio Sole securus est; & quo vix pervenerat nomen ante Romanum, accedit imperium. Dicamné ego receptos ad servitium Gotthos, castris tuis militem, terris sufficere cultorem? dicam à rebellibus Saracenis pænas polluti fœderis expetitas? dicam interdictum Scythis Tanaim, & imbelles arcus etiam fugientis Albani? Quæcunq; natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam nobis fuit, aut boni consulit, ut quiescat; aut læta-

lætatur, quasi amica, si serviat. Persis ipsa, reipublicæ nostræ retro æmula, & multis Romanorum Ducum famosa funeribus, quidquid unquam in Principes nostros inclementiùs fecit, excusat obsequio. Deniq; ipse ille Rex ejus, dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem, & in his te colit templis, in quibus colitur: tum legatione mittendâ, gemmis sericoq; præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis; etsi adhuc non est foederatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est.

Ne tamen, Imperator, existimes cuncta me ad aurium gratiam locuturum, triumphis tuis Gallicis (stupeas licebit) irascimur, dum in remota terrarum vincendo procedis, dum ultra terminos rerum, metasq; naturæ regna orientis extendis, dum ad illos primæ lucis indigenas, & in ipsum, si quod est Solis cubile, festinas, invenit tyrannus ad scelera secretum. O quàm parvis veniunt summa mala principijs! Sic in ultimum prope Italici generis excidium, effracto Cnæi Lentuli ludo,

mirmillonum agmen emicuit. Sic bella Consulibus ancipiti Marte pugnata Cilix pirata conflavit. Sic tenentibus arma fugitivis, Romana diu pila cesserunt ferro ergastulorum. Quis non ad primum novi sceleris nuntium hominem risit? nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, cùm pauci homines, & insulani, totius incendium continentis adolerent, & regali habitu exulem suum illi exules orbis induerent? At quantos parturiebat Fortuna motus, quantum Reipublicæ malum pestis augenda, quantam tibi gloriam restingvenda servabat? præcipuè cùm perfidia Ducum, defectione legionum contra Rempublicam foret versum, quidquid pro Republica fuerat armatum.

Nolo tamen usquequaq; miserorum vel factum onerare, vel fatum, qui dum carnifici purpurato, tuâ se & affinitate & favore iactanti, infeliciter credunt, gravissimum omnium nefas fecerunt affectu innocentium. Intelligo, quàm difficilem in locum scopulosumq; devenerim. Nam cùm revolui id lustrale justitium, aures

tuæ

tuæ respuant, laudes petant; gloriæq; intersit, ad præsentium commendationem bonorum mala decursa reputari, contra verò clementia summa beneficium suum malit imminui, quàm tristium enumeratione cumulari; necesse erit me vel tacentem publica incommoda, vel loquentem, aut ingratum virtuti, aut onerosum esse pietati. Sed tamen, Imperator, exiguam sensibus tuis injunge patientiam, nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicos juvat meminisse morborum; cur non tu quoq; mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas? Unde igitur ordiar, nisi à tuis, mea Gallia, malis? quæ ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haud injuria tibi vindicas privilegium miseriarum, non auribus modò, quarum sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa victoriam Maximi, interitum Gratiani. Alta licèt vulnera, quod fatendum est, proximus nobis Italus, & contiguus ostendat Hispanus: sed in dolore summo habet suum uterq; solatium, tyrannidem ille non

vidit; hic tyrannicidium vidit. Nos primi impetum belluæ furentis excepimus, nos sævitiam ejus innocentium sangvine, nos cupiditatem publicâ paupertate satiavimus. Apud nos semet exercuit crudelitas jam secura, & adhuc inops avaritia. Alibi malum publicum aut cœpit, aut destitit; in Gallia sedit.

Quis se nobis calamitate contulerit? tyrannum & cum alijs tulimus, & soli. Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines? quid, perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata, capita deminuta, vitam ære taxatam? Vidimus redactas in numerum dignitates, & exutos trabeis consulares, & senes fortunarum superstites, & infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem: cùm interim miseri vetabamur agere miseros, imò etiam omnes cogebamur mentiri beatos, & cùm domi atq; secretò solis conjugibus ac liberis credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum non nostræ fortunæ vultu. Au-

dires enim dicere delatorem: quid ita ille triſtis incedit? an quia pauper ex divite eſt? non enim ſe vivere gratulatur? quid ita hic publicum atratus inceſtat? luget, credo, fratrem, ſed habet filium. Ita fleri non licebat amiſſa, metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui deguſtato Sardorum graminum ſucco, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mærentes. Eſt aliquod calamitatum delinimentum, dediſſe lacrymas malis, & pectus laxâſſe ſuſpirijs. Nulla major eſt pæna, quàm eſſe miſerum, nec videri. Spes inter hæc nulla prædonis explendi. Nec enim, ut natura fert, copiam ſatietas ſequebatur. Creſcebat in dies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant. Ut ægrorum ſitim potus accendit; ut ignis arentibus non obruitur, ſed augetur; ita coactæ publicâ egeſtate divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuebant.

Stabat ipſe purpuratus ad lances & momenta ponderum, nutusq; trutinarum pallens atq; inhians exigebat. Comporta-

bantur interim ſpolia Provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum. Hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ, iſtic dominorum cruore perfuſum appendebatur argentum. Numerari ubiq; pecuniæ, fiſci repleri, æra cumulari, vaſa concidi, cuivis ut intuenti non illud Imperatoris domicilium, ſed latronis receptaculum videretur. Sed tamen latro raptis abutitur, & ablata alijs ſibi reddit; nec ideo vias ſaltusq; obſidet, ut theſaurum ſtruat atq; defodiat, & cum ſcelere miſer ſit; ſed ut gulæ ventriq; ſuppeditet, nec deſit ſumptus impendijs. Nam & effundit & negligit, eadem perdendi & quærendi facilitate. Noſter ille pirata, quidquid undecunq; converrerat; id nobis ſibiq; periturum, in illam ſpecus ſui charybdim congerebat. Charybdim loquor? quæ cum plena navigia ſorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia, & contortas fundo rates Taurominitanis littoribus exponere. Bona noſtra ad ærarium unâ & perpetuâ viâ ibant: nullas eorum reliquias, nulla fra-

fragmenta, vel serò victa fastidio, illa communis vorago revomebat.

Est improborum principum postrema defensio, auferre donandi gratiâ, & invidiam rapinarum, magnitudine munerum deprecari; quæ(malum)ratio est, abstulisse omnibus, quod nullus habiturus sit? Et privatorum quidem avaritiæ licèt mala, tamen aliqua defensio est, timetur inopia, & reponitur senectuti, & prospicitur heredi, quam adfert causam concupiscendi, qui, quantùm ubiq; est, habet? Quin ego, si fas piumq; mortalibus æstimare cælestia, nullam majorem crediderim esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem, & intercessisse inopiæ, & vicisse fortunam, & dedisse homini novum fatum. Itaq; Imperatori propriam majestatem bene æstimanti, non tam illud videri suum debet, quod abstulit, quàm quod dedit. Nam cum intra ipsum volvantur omnia, & ut ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit terris; ita quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem: & rei, & famæ be-

ne confulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reverfuram.

Sed illi quidem ftulta omnis ratio captandæ laudis videbatur, qui, præter infitum peffimo cuiq; boni exempli odium, fummam felicitatem habendi ac nocendi fine determinans, non folùm ut quàm plurimùm quæreret, fed ut nihil cuiquam reliqui faceret, laborabat. Nec enim, qui Regibus mos eft, egerendis invigilabat metallis, ut latentia naturæ bona in ufum arceſſeret, & pararet innoxias, nullo páuperiore, divitias. Parùm ille pretiofum putabat aurum, quod de montium venis, aut fluminum glareis quæfitor Beffus, aut fcrutator Callaicus eruiffet: illud purius fplendidiusq; credebat, quod dediffent dolentes, quod hominum lacrymæ, non amnium aquæ abluiffent, nec è terrenis fpecubus egeftum, fed è cervicibus jugulisq; cæforum effet effoffum. Sic cùm immitis tyranni & ftylus timeretur & gladius; tranfierat in vota paupertas, & ut poffemus effugere carnificem, optabamus

mus ſubire ſectorem. Quod ſi cui ille pro cæteris ſceleribus ſuis minùs crudelis fuiſſe videtur, veſtrum is, veſtrum, Balio triumphalis, & trabeate Merobaudes, recordetur interitum: quorum alter poſt ampliſſimos magiſtratus, & purpuras conſulares, & contractum intra unam domum quemdam honorum ſenatum, vitâ ſeſe abdicare compulſus eſt; alteri manibus ſatellitum Britannorum gula domi fracta, & inuſta fæmineæ mortis infamia, ut ſcilicet maluiſſe vir ferri amantiſſimus videretur laqueo perire, quàm gladio. Sed in illos fortaſſe ſpeciales putaretur habuiſſe odiorum cauſas tyrannus, ſteterat enim uterq; in acie Gratiani, & Gratianus utrumq; dilexerat: quid de his dicimus, qui honorum ac Principum neſcij, & tantùm inter ſuos clari, nobiles animas ſub carnifice fuderunt?

De virorum mortibus loquor, cum deſcenſum recorder ad ſangvinem fæminarum, & in ſexum, cui bella parcunt, in pace ſævitum? Sed nimirum graves ſuberant invidioſæq; cauſæ, ut unco ad pæ-

nam clari vatis matrona raperetur. Obijciebatur enim atq; etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentiùs culta Divinitas. Quid hoc majùs poterat intendere accusator Sacerdos? fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus Antistites, reverà autem satellites, atq; adeò carnifices, non contenti miseros avitis evolvisse patrimonijs, calumniabantur in sangvinem, & vitas premebant reorum jam pauperum, quin etiam, cùm judicijs capitalibus adstitissent, cùm gemitus & tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, cùm lictorum arma, cùm damnatorum frena tractâssent, pollutas pænali manus contactu ad sacra referebant, & cærimonias, quas incestaverant mentibus, etiam corporibus impiabant. Hos ille Phalaris in amicis habebat, hi in oculis ejus, atq; etiam in osculis erant: nec injuria, à quibus tot simul votiva veniebant; avaro divitum bona; cruento innocentium pæna; impio religionis injuria.

Tandem in nos oculos DEUS retulit, & bo-

& bonis orientis intentus, ad mala nostra respexit, & hunc sacerrimo capiti obiecit furorem, ut fœdus abrumpere, jus feciale violare, bellum edicere non timeret. An ego sine divino numine factum putem, ut, qui sub nomine pacis ludere, & primi sceleris pænas lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumq; vexillum latrocinij civilis attolleret, & superatis Alpibus Cottijs, Iulia quoq; claustra laxaret, tibique, Imperator, imponeret servatæ adhuc veniæ fidem, vincendi necessitatem? Agebat eum, credo, præcipitem vindicanda jam proximo ultore Respublica, & extinctus aperto dominus parricidio pænas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia; non temeritas, sed necessitas erat: nec ultro lacessebat ille te bello; sed ulteriùs se negare supplicio non poterat. Alioquin quomodo tantam concepisset audaciam, ut ruere in ferrum, & obviàm morti venire tam ignavus & timens mortis auderet, ut qui se non potuerit postea vel victus occidere? Et te quidem, Imperator Auguste, ad adserendam

dam Rempublicam, uſurpandamq́; victoriam, ſuffeciſſet in bella vel ſolùm venire, nam ſi olim domini, adverſùm rebelles ſervos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantaq́; vis conſcientiæ fuit, ut ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus: nonne tu quoq́; legionibus otioſis rem totam viſus egiſſes?

An ſuſtinere te coràm, & ſolum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam domûs tuæ negligentiſſimus vernula, menſularumq́; ſervilium ſtatarius lixa potuiſſet? non ſtatim totum ſubiſſet hominem præterita ſui tuiq́; reputatio? non ipſe ſibi obieciſſet te eſſe triumphalis viri filium; ſe patris incertum? te heredem nobiliſſimæ familiæ; ſe clientem? te omni retro tempore Romani exercitûs Ducem, libertatis patronum; ſe orbis extorrem, patriæq́; fugitivum? Jam verò te Principem in medio Reipublicæ ſinu, omnium ſuffragio militum, conſenſu Provinciarum, ipſius deniq́; ambitu Imperatoris optatum; ſe in ultimo terrarum receſſu, legionibus

gionibus neſcijs, adverſis Provinciarum ſtudijs, nullis deniq; auſpicijs, in illud tyrannici nominis adſpirâſſe furtum? poſtremò tecum fidem, ſecum perfidiam: tecum fas, ſecum nefas: tecum jus, ſecum injuriam; tecum clementiam, pudicitiam, religionem; ſecum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium ſcelerum, poſtremorumq; vitiorum ſtare collegium? Res ipſas interrogemus, & quæ certiſſima coniectatio eſt, colligamus gerenda geſtis. Num tandem dubitari poteſt, quid fuerit eo præſente facturus, quem non vidit, & fugit?

Quamvis igitur, Imperator, hoſte tali abutereris, nec tam ad prælium conſerendum, quàm ad ſupplicium de nefario capite ſumendum, venires; conſilijs tamen tantis, tantisq; rationibus bellum adminiſtrabas, ut cum Perſe aliquo decertaturus, aut Pyrrho, aut cum illo ipſo Hannibale videreris. Nam primùm fidem Regum, quibus limes orientis ambitur, datâ atq; acceptâ dexterâ firmas, quo foris ſecurus agitares, ſi nihil ſolicitum & ſuſpectan-

dum

dum domi reliquiſſes. Tunc copias tuas trifariam dividis, ut & hoſtis audaciam multiplicato terrore percelleres, & fugam circumfuſus ambires. Poſtremò populis barbarorum, ultroneam tibi operam ferre voventibus, commilitonum munus indulges, ut & limiti manus ſuſpecta decederet, & militi auxiliator accederet. Quâ tuâ benignitate pellectæ omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluebant, ut, quem remiſeras tuis, barbaris videreris imperâſſe dilectum. O res digna memoratu! Ibat ſub ducibus vexillisq; Romanis hoſtis aliquando Romanus, & ſigna contra quæ ſteterat, ſequebatur, urbesq; Pannoniæ, quas inimica dudum populatione vacuaverat, miles impleverat. Gothus ille, & Hunnus, & Alanus reſpondebat ad nomen, & alternabat excubias, & notari infrequens verebatur. Nullus tumultus, nulla confuſio, nulla direptio, ut à barbaro erat, quin, ſi quando difficilior frumentaria res fuiſſet, inopiam patienter ferebat, & quam numero arctârat annonam, comparcendo laxabat, pro o-

mni

mni præmio omniq; mercede id unum reposcens, ut tuus diceretur. Quanta est virtutis ambitio! accipiebas beneficium quod imputares.

Memorabile putavit antiquitas, quòd Actiaco aliquando bello Ducibus moribusque Romanis peregrina Ægyptus arma permiscuit, tantumq; res credita est habere novitatis, ut, nisi frequenter isset in literas, apud posteros videretur facti fides laboratura. Nam quis annalium scriptor, aut carminum, tuas illas, Cleopatra, classes, & eborata navigia, & purpurea cum auratis funibus vela tacuit? quin ita crebrò historia recantata est, magis ut ab eisdem sæpe dicta, quàm ut ab aliquo intermissa videatur. Non contendam Duces; nec enim Principem nostrum non dicam victus Antonius, sed victor Augustus æquaverit; quid in cæteris saltem simile deprehendimus? maximè si rerum temporumq; facies altrinsecus conferamus, & hos illosq; populos animorum subijciamus oculis. Illos vela facientes, data ventis classis attulerat; hi longum iter sub

armo-

armorum faſce carpebant. Illos peregrino igne ſuſpirans Regina pellexerat; hos amor laudis, & participandæ gloriæ cura rapiebat. Illos tepens Pharus & mollis Canopus, leviumq; populorum altor Nilus emiſerat; hos minax Caucaſus, & rigens Taurus, & ingentium corporum durator Iſter effuderat. Illos tenero perlucentes amictu, & vix leve carbaſum vitando ſole tolerantes, alterno concuſſa tinnitu ſiſtra ducebant; hos loricis onuſtos, incluſosq; ferro, fractæ voces tubarum, ingentiumq; lituorum clangor acuebat: quæ tandem, ut collatio poſſet eſſe populorum, etiamſi tanta non eſſet diſſimilitudo cauſarum, ut ab illis fuerit Romani imperij appetita captivitas, ab his repetita libertas. Quò tibi, Imperator, indigniùs videbatur ejus piaculi quemquam inveniri potuiſſe conſortem, cujus ſe barbarus agebat ultorem.

Sed illi quidem nefario ſangvine belli primitias imbuentes, par pænæ culpæq; documentum fuerunt. Teſtis eſt Siſcia, teſtis pulcherrimus amne conflictus, ſi confli-

conflictus ille dicendus est, quo ita in publicos proditores animi plenus miles invasit, ut eum nec numerus resistentium, nec maximi fluminis altitudo remorata sit, quin, ut erat ex longissimo itinere anhelus atq; pulvereus, equos calcaribus incitaret, amnem nando conjungeret, ripam insiliret, paratos deniq; exspectantesq; deprehenderet. Sermo iste prolixior est, quàm illa res fuerit. Vix fluvium manus invicta transierat; jam locum belli tenebat. Vix hostem invenerat; jam urgebat, vix pectora viderat; jam terga cædebat. Datur debito rebelle agmen exitio; volvuntur impiæ in sangvine suo turbæ; tegit totos strages una campos, continuisq; funeribus cuncta latè operiuntur. Jam qui ad muros differendâ morte properaverant, aut fossas cadaveribus æquabant, aut obvijs sudibus induebantur, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte claudebant. At quorum se fugæ impervius ripis amnis obiecit, trepidando collecti, & alterum quisq; complexi, per abrupta glomerantur. Spumat decolor cru-

ore fluvius, & cunctantes meatus vix eluctatis cadaveribus evolvit: utq; se tibi posset speciali imputare militiâ, ipsum illum vexillarium sacrilegæ factionis avidis gurgitibus absorbuit; & ne morti sepultura contingeret, cadaver abscondit. Nonne utroq; credendus tuæ studuisse vindictæ, & adjuvando victoriam, & occupando clementiam?

En tibi alteram pugnam, alteramq; victoriam, dilectas in prælium Marcellinus cohortes, & ipsum factionis nefariæ robur, illa belli civilis Megæra rapiebat, tantò cæteris satellitibus audentior, quantò exsertiorem operam navabat tyranno frater tyranni. Quò quidem maximè tuus gaudebat exercitus, qvum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat, quàm timeri; adeò quidem, ut castris ad castra collatis, quod præcipiti die manum conferere non poterat, spe victoriæ cum luce venturæ pervigil ageret, tardum solem, desertorem diem, annuum noctis æstivæ tempus criminaretur. Ecce lux tandem, & jam omnis campus horrebat exercitu:

divisi

divisi in cornua equites, leves ante signa velites, dispositæ manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina quadratæ legiones, universa latè, quà visus agi poterat, occupârant. Nondum se virtus experiebatur; jam disciplina vincebat. At postquam intra coniectum teli acies utraq; promovit, & effusis hinc inde iaculorum sagittarumq; nimbis res venit ad capulos; milites pristinæ virtutis, Romani nominis, Imperatorum deniq; memores, causam publicam manu agere. Hostes venditam operam, laceratam Italiam, spem in ferro reliquam cogitantes, gladiatoriâ desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed in vestigio stare, vel cadere.

At ubi impulsa acies, fronsq; laxata, & fiducia in pedes versa est, ire præcipites, aut globo fugere, & se invicem festinando tardare. Armati, inermes, integri, saucij, primi, postremiq; misceri. Miles urgere eminus, cominus gladijs, hastis, punctim, cæsim ferire. Alij poplitibus imminere, alij terga configere, aut quos cursu non poterant continere, iaculis occupare.

Arma, tela, equi, homines, viva, perempta, prona, ſupinaq; corpora paſſim vel in acervo iacere. Illi mutilis exciſisque membris, reliqua ſui parte fugiebant: hi dolorem vulnerum ſequebantur: iſti mortes receptas in ſylvas & flumina deferebant; illi poſtremum ſpiritum in admiratione nominis tui, & ſui Ducis deteſtatione fundebant. Nullus finis cædendi inſequendique, niſi ſubtraxiſſet aliquando victoribus mors hoſtem, & nox diem. At quantò meliùs manus illa conſuluit, quæ ſubmiſſis precabunda vexillis petijt veniam neceſſitatis, & terram in oſculis premens, calcanda veſtigijs tuis corpora & arma proiecit? quam tu non ſuperbè, ut victam, non iratè, ut ream; non negligenter, ut parùm neceſſariam, præteriſti, ſed blandè liberaliterq; tractatam iuſſiſti eſſe Romanam. Iunguntur ſocia agmina, & ſub uno capite diverſa Reipublicæ membra coaleſcunt. Ambo pari gaudio feruntur exercitus, hic operâ ſuâ gaudet, hic veniâ; uterq; victoriâ.

Nec pia Hæmona cunctantius, ubi te

ad

adfore nuntiatum, impulſis effuſa portis obviam provolavit, & ut eſt omne deſiderium poſt ſpem impatientius, parùm credens patere venienti, feſtinavit occurſare venturo. Fingit quidem, ut ſcimus, timor gaudium: ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, ut in ſpeculo frontium imago exſtat animorum. Velut illa civitas à longa obſidione reſpirans, quòd eam tyrannus Alpibus obiacentem tanquam belli limen attriverat, tanta ſe & tam ſimplici exultatione iactabat, ut ni eſſet vera lætitia, nimia videretur. Ferebant ſe obviæ tripudiantium catervæ, cuncta cantu & crotalis perſonabant, hic tibi triumphum chorus, ille contrà tyranno funebres næmias & carmen exequiale dicebat. Hic perpetuum victis abitum; ille victoribus crebrum optabat adventum. Iam quocunq; tuliſſes gradum, ſequi, circumcurſare, præcedere; vias denique, quibus ferebaris, obſtruere. Nullus cuiquam ſui tuive reſpectus blandam tibi faciebat iniuriam contumaciã gaudiorum. Quid ego referam pro mœnibus

nibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum, conſpicuos veſte niveâ Senatores, reverendos municipali purpurâ flamines, inſignes apicibus Sacerdotes? quid portas virentibus ſertis coronatas? quid aulæis undantes plateas, accenſisq; funalibus auctum diem? quid effuſam in publicum turbam domorum? gratulantes annis ſenes, pueros tibi longam ſervitutem voventes, matres lætas, virginesq; ſecuras? nondum omne confeceras bellum, iam agebas triumphum.

Ibat interim Maximus, ac te poſt terga reſpectans, in modum amentis attonitus avolabat. Nec ullum ille conſilium, ullamve rationem, aut deniq; ſpem, quæ poſtrema homines deſerit, ſequebatur: quin ipſos viæ implicabat errores, & nunc dexter, aut lævus, nunc veſtigijs ſuis obvius, incertum iter ancipiti ambage texebat. Quoties ſibi ipſum putamus dixiſſe, quò fugio? bellumne tentabo? ut, quem viribus totis ferre non potui, parte ſuſtineam! Alpes Cottias obſerabo, quia Iuliæ profuerunt? peto Africam? quam exhauſi,

repe-

repeto Britanniam? quam reliqui, credo me Galliæ? ſed inviſus ſum. Hiſpaniæ committo? ſed notus ſum. Quid ergo faciam, inter arma & odia medius? à tergo premor hoſtibus, à fronte criminibus, ſi morerer, evaſeram? ſed ecce, nec animum ſequitur manus, nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiſcit. O quàm difficilè eſt miſeris etiam perire! Ergo ut clauſæ caſſibus feræ quæſito diu exitu deſperatoq; conſiſtunt, & præ timore non fugiunt: ita ille ipſo, quo agitabatur, metu alligatus, in oppidum ſemet Aquileienſe præcipitat; non ut vitam defenderet reſiſtendo, ſed ne pænam fruſtrando differret. Quanquam quæ poterat ulterior eſſe dilatio? cùm ita veſtigijs ejus ac tergo ardens miles inſiſteret, ut pæne omnem, quæ eſt ſecuta, pompam ultio feſtinata præceperit.

Rectê profectò germana illa pictorum Poëtarumq; commenta victoriam finxêre pennatam, quòd hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus. Ille ab ultimo orientis ſinu feſtinatis itineribus

raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot ſcandendis montibus fatigatus, in alio orbe, & ſub alio pæne dixerim Sole poſitus, ſpatio lucis unius Illyrico continuavit Aquileiam. Nihil tamen ſibimet hoc nomine vindicant: & ſi quando mirantium circulos contrahunt, aut convivia noſtra ſermone producunt, operam omnem ſuam fine Alpium terminantes, deberi ſibi abnuunt illam celeritatem, quòd expertes laborum perveniſſe ſe viderint, quò ire non ſenſerant. Negant imò ſe ſuis vectos eſſe corporibus, ſed tanquam per aliquas imagines ſomniorum ferrentur abſentes, præbuiſſe geſtantibus ventis otioſorum miniſteria membrorum. Nec fides anceps, nam ſi olim ſeveri credidêre maiores, Caſtoras geminos, albentibus equis & ſtellatis apicibus inſignes, pulverem cruoremq; Theſſalicum aquis Tiberis abluentes, & nuntiâſſe victoriam, & imputâſſe militiam; cur non tuæ publicæq; vindictæ confeſſam aliquam immortalis DEI curam putemus adnixam? niſi fortè maiorem

Divi-

Divini favoris operam res Romana poscebat, Macedonico augenda regno, quàm tyrannico eximenda servitio. Ego verò, si cæleste studium pro dignitate causarum æstimandum sit, iure contenderim, equites tuos Pegasis, talaribus pedites vectos ac suspensos fuisse, neq; enim quia se Divina mortalibus dedignantur fateri, idcirco, quæ visa non fuerint, dubitavimus facta, cùm facta videamus, quæ dubitaverimus esse facienda.

Angustè fortunam tuam, Imperator, expendit, quisquis id de te tantum, quod fieri potest, credit. An ego, cùm ab Alpibus Iulijs otioso feriatoq; ferro non prælium fuisse videam, sed triumphum, dubitaverim illam specialem quandam felicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidem, Imperator, ita te cuncta administrâsse, ut non possint se tibi imputare successus; sed fatearis necesse est, quantùm te in bello, tantùm fortunam tuam egisse post bellum, cui si vocem demus, & iudicem, nonne prolixè suam enumerabit operam, & ut virtutibus tuis multa conce-

dat, sibi aliquam vindicabit? & cur, quæso, non demus, ut accipiamus utriusq; partis adserta, cùm sit, quæ vicerit tua? Audio Constantiam dicere, *bellum atrox periculosumq; suscepi*, memorare patientiam, *immensum iter, tempus anni grave semper armata, sæpe ieiuna toleravi*; tenere prudentiam, *partita sum militem, & multiplicavi arte terrorem*; adserere fortitudinem, *bis conflixi cum hoste, bis vici*; omnes postremò clamare; *quid tibi debemus fortuna, quam fecimus?* Sed si illa dicat *properationem militum ego iuvi, ego fugam hostium præpedivi, ego maximum in muros còegi, & quem vos cogebatis mori, vivum domino reservavi*: non video, quod possit esse iudicium, quin cùm ista pars imputet tyranni fugam, illa custodiam; Respublica quæ utriq; pariter obnoxia est, ita utramq; coniungat, ut fateatur, uni semet victoriam, alteri debere vindictam.

Sed nec tu debitam gratiam beneficij inficiator abiuras, nam etsi per te confeceris quæ volebas, per fortunam tamen plùs adeptus es, quam volebas. Agedum, si vide-

videtur, præteritas cogitationes tuas consule, & vota conveni. Num amplius speravisti, quàm ut Maximus tibi nuntiaretur occisus, quàm ut semivivum ejus caput nondum clausis totâ morte oculis, ex acie referretur, quàm ad summum; ut fugiens, resistensve caperetur? Cæterùm quando, quòd factum est, vel optâsti, ut se tibi ipse servaret, ut conscíscere sibimet interitum nollet, & posset? Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atq; adeò maximo lux amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest, aut ille vitari. At si ultima supra caput steterit hora, & venerit dies nunquam reversurus, ac se confessa mors fuerit, non timentur extrema, cùm certa sunt. Hinc reorum usq; ad damnationem metus, postea attonitus stupor, & ex desperatione securitas, & ad locum supplicij voluntaria, carnifice non trahente, properatio, ut de his taceam, qui, cum fatis fortius paciscentes, incertum exitum certo occupaverunt: ut nihil de servis loquar, qui verbera vitavêre suspendio, & motus heriles
usque

usque ad præcipitia fugerunt; quis unquam ultra spem timuit? quis idcirco semet occidere noluit, ut occideretur? nisi verò vel levior manus aliena quàm propria, vel fœdior mors privata quàm publica, vel longior pæna ferro incumbere, & corpore vulnus onerare, & recipere interitum statim totum, quàm supplicium dividere, poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam, fortasse non unam. Et tamen quando secum ille ferro transfigendum putabat, non potiùs ignem, laminas, crucem, culleum, & quidquid merebatur, timebat? nunquam profectò tam bene de sceleribus suis sensit, ut mortem potuerit sperare, quâ perijt. Si igitur nec præsumere veniam reus, nec sperare fugam clausus, nec mortem potuit timere moriturus, & certò extremorum levior videri debuit voluntarius, quàm coactus; honestior privatus, quàm publicus, postremò brevior occupatus quàm exspectatus interitus; num cui dubium est in eo, quod non habuit rationem, fuisse fortunam? Illa, illa tyranni consilia cæcavit; illa

illa & animum ejus obtudit & gladium, illa expeditam in vulnus manum percussit & tenuit. Nisi verò tu tuum, venerabilis Gratiane, carnificem diris comitatus ultricibus obsidebas, & irata minax umbra ob os ejus oculosq; fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angve flagra quatiebas, ne morti honestæ vacaret, ne regalem illum sacrosanctumq; vestitum impio cruore pollueret, ne cultus olim tuus, ac deinceps fratrum futurus, funestum sangvinem, vel dum vindicatur, acciperet: ne postremò te manus ulcisceretur tyranni, & deberes Maximo vel suam mortem.

Et planè ita cuncta ceciderunt, ut non servata modò ultio, sed ordinata videatur. Nam unde, quæso, tam repentina conversio, ut, qui oppetere timuerat interitum, non timeret expetere, & quem incluserat metus, proferret audacia? Hic nulla iam reliqua festinandis rebus mora. Actutum fortissimi Duces instruendo accinguntur triumpho, capiti diadema decutitur, humeris vestis aufertur, pedibus

orna-

ornatus evellitur, totus deniq; homo aptatur ad interitum. Publicè publicus ſpoliator exuitur, nectuntur manus rapaces, nudantur crura fugitivo: talis denique tuis offertur oculis, qualem offerri decebat victori captum, domino ſervum, Imperatori tyrannum. Nec tu illum, quâ es clementiâ, in conſpectum tuum venire voluiſſes, ne oculos iſtos, omnibus ſalutares, homo funebris impiaret, niſi famam confutare mendacij, teq; purgare eodem teſte, quo inſimulatore voluiſſes. Habet vires, habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt; aut, quod magìs credo, omni ſeverius quæſtione eſt, à te interrogari. Ad primam tuam vocem nefario pectori excuſſa confeſſio eſt, nec cunctari ſaltem aut muſſitare potuit, quin conſilium omne nudaret, ſe videlicet favoris tui obtendiſſe prætextum, quod aliter non potuiſſet allicere militum ſocietatem, niſi ſe auctoramenti tui finxiſſet auctorem.

Et poſt hanc tu vocem non illum in

cru-

crucem tolli, non culleo insui, non discerpi in frusta iussisti? non postremò illam tanti ream mendacij lingvam radicitus erui præcepisti, cum eorum parte vitalium, quorum fuerat locuta commentum? Quin iam cœperas de ejus morte dubitare, & deieceras oculos, & vultum rubore suffuderas, & cum misericordia loquebaris. Sed bene est, quòd non omnia potes, tui te vindicant & invitum. Rapitur ergo ex oculis, & ne quid licere posset clementiæ, inter innumeras manus fertur ad mortem. Ecce iterum, Imperator, averteris, & illam tyrannici exitûs relationem gravaris. Iam, iam esto securus, geram clementiæ tuæ morem; quòd noluisti videre, non audies. Huc, huc totas pij vates doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus lingvis literisq; celebrate, nec sitis de operum vestrorum perennitate solliciti, illa, quam præstare historijs solebatis, ab historia veniet æternitas. Vos quoque, quibus secunda sors cessit dare famam rebus, artifices, vulgata illa veterum fabularum argumenta despicite

ſpicite, Herculeos labores, & Indicos Liberi triumphos, & angvipedum bella monſtrorum. Hæc potiùs, hæc geſta ſolertes manus ducant; his fora, his templa decorentur; hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus vivant, hæc in æra moveantur, hæc gemmis augeant pretium.

Pertinet ad ſecuritatem omnium ſæculorum, quod eſt factum, videri, ut ſi quis unquam nefaria vota conceperit, monimentis noſtrorum temporum recenſitis per oculos hauriat innocentiam. Quisquis purpurâ quandoq; regali veſtire humeros cogitabit; Maximus ei exutus occurrat. Quisquis aurum gemmasq; privatis pedibus optabit; Maximus ei plantis nudus appareat. Quisquis imponere capiti diadema meditabitur; avulſum humeris Maximi caput, & ſine nomine corpus aſpiciat. Scimus quidem nihil unquam novandum, cùm Romanum ſemper imperium aut tuum futurum ſit, aut tuorum: pertinet tamen ad geminam Reipublicæ ſecuritatem, quod fieri non poteſt

poteſt, etiam non timeri. Sed utcunq; virtutis tuæ opera curioſæ poſteritatis oculis artificum manus reddet, cùm te vel Alpium dorſa ſuperantem, vel flumina objecta tranantem, vel agmen hoſtile triumphalibus veſtigijs atterentem, pictorum atq; fictorum adſequetur imitatio: clementia, Imperator, tua, quo cælo, quo pigmento, quo ære aurove ducetur? quâ tu ipſius victoriæ victor ita omnem cum armis iram depoſuiſti, ut ceciderit nemo poſt bellum, certè nemo poſt Maximum? Paucis Maurorum hoſtium, quos ſecum velut agmen infernum moriturus incluſerat, & duobus aut tribus furioſi gladiatoris laniſtis in belli piaculum cæſis, reliquos omnes, venia complexa, velut quodam materno ſinu clauſit. Nullius bona publicata, nullius multata libertas, nullius præterita dignitas imminuta. Nemo affectus notâ, nemo convicio, aut deniq; caſtigatione perſtrictus, culpam capitis, aurium ſaltem moleſtia luit. Cuncti domibus ſuis, cuncti conjugibus ac liberis, cuncti denique, quod eſt dulcius, innocentiæ

centiæ restituti sunt. Vide, Imperator, quid hâc clementiâ consecutus sis. Fecisti, ut nemo sibi victus, te victore videatur. Spectabas hæc à tuis collibus Roma, & septenâ arce sublimis, celsior gaudio ferebaris.

Tu, quæ experta Cinnanos furores, & Marium post exilia crudelem, & Sullam tuâ clade felicem, & Cæsarem in mortuos misericordem, ad omne civilis motûs classicum tremiscebas; quæ præter stragem militum, utrâq; tibi parte pereuntium, extincta domi senatûs tui lumina, suffixa pilo consulum capita, Catones in mortem coactos, truncosq; Cicerones, & Pompejos fleveras insepultos; cui damna graviora scissus in partes civium furor, quam portis imminens Pænus, aut receptus muris Gallus intulerat; cui Alliensi die Emathia funestior, Cannis Collina feralior, tam altas olim reliquerunt cicatrices, ut graviùs semper tuam, quàm alienam, experta virtutem, nihil tibi magis, quàm te, timeres; vidisti civile bellum, hostium cæde, militum pace, Ita-

liæ recuperatione, tuâ libertate finitum: vidisti, inquam, finitum civile bellum, cui decernere posses triumphum.

Hactenus memet, Imperator Auguste, præteritas res tuas attrectâsse fas fuerit. At cùm tempus admoneat meminisse præsentium, finem sermoni facere maluerim, quàm amplissimi ordinis munus invadere. Dabitur utcunq; venia piæ temeritati, si usurpâsse communia, non occupâsse videamur aliena. Licuerit mihi, quæ in barbaris gentibus, longinquisq; Provincijs pro summa re fortiter feliciterq; fecisti, & adnuente numine tuo, & senatu favente, dixisse. Ea verò, quæ Romæ gesta sunt, & geruntur, ingenijs permittenda Romanis sunt, qualem te urbi dies primus invexerit; quis in curia fueris, quis in rostris; ut pompam præeuntium ferculorum curru modò, modò pedibus subsecutus, alterno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia triumphâris; ut te omnibus Principem, singulis exhibueris senatorem; ut crebro, civiliq; progressu non publica tantùm opera lustraveris, sed

privatas quoq; ædes Divinis vestigijs consecrâris, remotâ custodiâ militari, tutior publici amoris excubijs. Horum hæc lingvis, horum, inquam, voce laudentur, qui de communibus gaudijs & digniùs utiq; quæ maxima, & iustiùs poterunt prædicare, quæ propria sunt. O mea felix peregrinatio! ô bene suscepti, & exhausti labores! quibus ego intersum bonis? quibus paror gaudijs? quæ, reversus, urbibus Galliarum dispensabo miracula? quantis stupentium populis, quàm multo circumdabor auditore, cùm dixero, Romam vidi, Theodosium vidi, & utrumq; simul vidi; vidi illum Principis Patrem; vidi illum Principis restitutorem? Ad me longinquæ convenient civitates; à me gestarum ordinem rerum stylus omnis accipiet; à me argumentum Poëtica; à me fidem sumet historia. Compensabo tibi istam, Imperator, iniuriam: si, quando de te ipse nihil dixerim, quod legendum sit; instruam qui legantur.

